promittens eidem quod faceret ei justitiæ plenitudinem exhiberi. Nobis nihilominus intimari procurans, quod in Curia sua debeat hujusmodi negotium terminari: & vos, & mulier supradicta, ei nequaquam obtempetare volentes, fatigatis in causa procedere, & sic sibi minus rationabiliter jurisdictionem auferre: unde nobis humiliter supplicavit, ut causam ipsam ad eum, ad quem specialiter pertinet, mittere dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sic fumus *d* viduis in justitia debitores, quod aliis injustitiam *e* facere non debemus: mandamus quatenus nisi sit talis causa, quæ ad Ecclesiasticum judicem pertinere noscatur, ei superfedere curetis, dummodo per judicem sæcularem suam justitiam possit obtinere: alioquin non obstante ipsius contradictione, causam ipsam ratione prævia terminetis.

NOTÆ.

a *Archidiacono.*) In tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 2. legitur, *Idem Archiepiscopo, & B. Cellerario Turon.* & recte, ut jam notavit Cujacius in præsenti. De Archiepiscopi Turonensis dignitate plura notavi *in c.* 5. *de temporibus ordin.* Casum hujus textus refert Altesserra *hic.*

b *Thesaurario.*) Qui Cellerarius dicitur in dicta tertia collectione: ejus officium retuli *in c.* 1. *de offic. custod.* Illud in præsenti addendum, Thesaurarium in eis Ecclesiis, in quibus prærogativam obtinet in Choro, & Capitulo, obtinere dignitatem, etiamsi jurisdictionem non exerceat, *c. cum olim, de consuet. c. cum venissent, de inst.* & ubi adest consuetudo, ut pro dignitate habeatur: unde plerumque legimus in jure, sive hoc volumine, Pontificem causas commiisse Thesaurariis, ut Thesaurario Lingoniensi, *in capite significavit, de conversf. conjug.* Nivernienfi, *in c. Cum olim Abbas, de offic. deleg.* Thesaurarium Turonensem qualemqualem exercere jurisdictionem in Canonicos suæ Ecclesiæ, refert Chopinus *de sacra polit. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 21.

c *Comitis Britannia.*) Britannia minor, deletis tribus Regulis, primo per Comites regebatur, postea per Duces cum clientela Regis, ut refert Aymonius *lib.* 1. *de gestis Franc. c.* 20. & *lib.* 4. *c.* 78. & 89.

d *Viduis.*) *Cap.* 2. & 2. 87. *dist. c. Regum* 13. *q.* 5. Innoc. III. *lib.* 1. *epist.* 36. in illis verbis: *Et specialiter viduis, & pupillis sumus in justitia debitores.* Et in Concilio Sardicensi jubetur Episcopis, ut viduis, & pupillis opitulentur, & in formula ipsis directa apud Cassiodorum *libr.* 11. ita cavetur; *Orphanis, viduisque contra sævos impetus debetis placita præstare solatia.* Et Imperator Ludovicus Comites admonet *lib.* 2. *capitul. c.* 6. his verbis: *Pupillorum vero, & viduarum, & ceterorum pauperum auditores, & defensores sitis.* Et *lib.* 2. *c.* 53. & *lib.* 4. *c.* 16. jubetur, ut viduarum causæ ante meridiem audiantur, causæ vero Regis, & Potentum post meridiem. Cum enim viduæ cuilibet despectui sint expositæ, majori indigent auxilio. Tertul. *lib.* 1. *ad uxorem*, ibi: " Nam de viduitatum honoribus apud Dominum
„ uno dicto ejus per Prophetam expeditum, juste facit viduæ
„ & pupillo: Venite, disputemus dicit Dominus. Duo ista no-
„ mina in quantum despectui humano, in tantum divinæ mise-
„ ricordiæ exposita, susceepit tueri Pater omnium: vide, quam
„ ex quo habetur, qui viduæ benefecerit, quanti est vidua ipsa,
„ cujus assertor Dominus disputavit. *Metuendum etiam est illud,*
„ *quod per Moysem Dominus comminatur Exodi c.* 22. Viduæ, & pupil-
„ lo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, &
„ ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, per-
„ cutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii ve-
„ stri pupilli. „ Plura de viduarum commiseratione, & favore congerunt Ludovicus Cresolius *lib.* 3. *miscellag. c.* 47. Bignonius *in notis ad Marculf. lib.* 1. *cap.* 8. Mancinus *lib.* 2. *de triplici juris collat. c.* 96. Valascus *de privil. pauper.* 3. *p. q.* 3. Bened. Ægid. *de privileg. bonest. art.* 5. Nathen. *in justitia vulner. pag.* 615.

e *Injustitiam facere.*) Ut notavi in textu antecedenti.

COMMENTARIUM.

4 Conclusio tradituir, & probatur.

EX his duabus decisionibus sequens communiter deducitur disputanda assertio: " Laicus non potest contra laicum re-
„ scriptum justitiæ a Pontifice impetrare, nisi in defectum, seu
„ negligentiam judicis sæcularis. „ Probant eam textus *in c. ex transmissa, cap. ex parte, hoc tit. c. ex litteris, de pignor. c. nuper, de donat. inter, c. super quibusdam,* §. *ult. de v. s. cap. significantibus* 38. *de offic. deleg. c. significavit, de offic. ordin. Authent. ut differentia judicium,* §. *si vero contigerit.* Innocent. III. *lib.* 3. *ep.* 148. Consonat lex 10. *tit.* 1. *lib.* 4. *recepil.* Illustrant ultra congestos in præsenti a Barbosa *in collect.* & *to.* 6. *in select.* Balboa, Garanna, & Fermosino, Bosquetus *in not. ad Innocent. dicto lib.* 3. *ep.* 148. Ant. August. *in epist. lib.* 14. *tit.* 13. Angajanus *lib.* 3. *de legibus, c.* 23. Covarr. *practic. c.* 6. Barbosa *in l.* 1. *n.* 46. *ff. solut. matrim.* Michael Rosuel. *lib.* 6. *hist. Pontif. jurisd. c.* 1. *num. fin.* Velascus *de privil. pauper. p.* 3. Carleval. *lib.* 1. *de judic. tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *sect.* 7. Valenzuela *consil.* 150. *nu.* 96. Acunna *in c. licet, dist.* 87. Gudelinus *de jure novissf. lib.* 6. *cap.* 6. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Ind. lib.* 3. *c.* 7. *num.* 57.

5 Improbatur hæc assertio.

Sed in casibus his duabus decisionibus comprehensis litteras justitiæ a Pontifice impetratas, etiam super causa temporali admitti debere, probatur sequentibus considerationibus. Prima ex eo nascitur, nam certum est, in specie textus *in cap. licet*, vacasse Imperium, cum litteræ impetratæ fuerint, ut in eo notavi: sed vacante Imperio omnis jurisdictio temporalis penes Romanum Pontificem residet, *extravag. non sancta*, Joannis XXII. *ne Sede vacante*: igitur sicut omni tempore R. Pontifex potest in causis Ecclesiasticis litteris justitiæ jurisdictionem delegare, quia earum judex ordinarius est, ita & vacante Imperio, quia jurisdictio temporalis residet penes ipsum, poterit causæ temporalis cognitionem etiam inter laicos litteris suis committere. Secunda juris consideratio militat adversus decisionem textus *in cap. ex tenore*, & nascitur ex eo principio, quo docetur viduam tamquam miserabilem personam posse eligere judicem, coram quo actionem intendat, sive ipsum Principem, *ex l. unic. C. quando Imperator inter paup. & viduam*; sive judicem Ecclesiasticum, *c. si quid de potentibus* 21. *c. illis qui* 25. 24. *qu.* 3. *cap. ex parte* 15. *hoc tit. c. super* 26. *in fine, de v. s.* late post plures docent Velascus *tom.* 1. *de privileg. pauper. quæst.* 52. Carleval. *d. quæst.* 7. Villaroel *part.* 2. *regim. Eccles. quæst.* 14. *art.* 3. sed in specie textus *in d. c. ex tenore*, vidua litteras impetravit, ut coram judicibus Ecclesiasticis adversarium conveniret: igitur ut litteræ impetratæ a miserabili persona sustineri debeant.

6 Traditur ratio decidendi.

Qua difficultate minime refragante, vera est præsens decisio, cujus ratio provenit ex distinctione potestatis sæcularis, & Ecclesiæ; licet enim penes R. Pontificem resideat utraque potestas, tamen diverso modo: nam potestas Ecclesiastica adest penes eum in habitu, & in actu; potestas vero temporalis residet penes eum ex habitu, sed non in actu, ut probavi *in cap. solite, de majorit. & obedient.* unde cum quælibet potestas suos proprios judices habeat, non debet alter in alterius segetem falcem mittere, nec laicus debet convenire laicum coram judice Ecclesiastico virtute rescripti Apostolici, *d. l.* 10. *titul.* 1. *lib.* 4. *recep.* licet tale scriptum justitiæ ipso jure nullum non sit, cum negligente judice sæculari justitiam administrare, executioni mandaretur, *cap. qualiter* 17. ubi dixi, *de judic.* sed effectus hujusmodi rescripti suspenditur, donec judex sæcularis ordinarius de ipsa causa plene cognoscat. Accedit, nam certum est, illum judices dare posse, qui jurisdictionem in ea causa habet, *l. more*, *ff. de jurisdict. cap. fin.* §. *fin. de offic. deleg.* late probavi *in c.* 3. *eod. titul.* sed R. Pontifex potestatem, seu jurisdictionem in causis temporalibus tantum in habitu, non vero in actu habet: igitur in hujusmodi causis sæcularibus non poteſt R. Pontifex earum cognitionem delegare, nisi data negligentia in judice sæculari; unde cum nec in specie textus *in cap. licet*, nec in casu capitis *ex tenore*, daretur negligentia ex parte judicis sæcularis, recte litteræ a Pontifice impetratæ suspenduntur, nec earum virtute judices delegati in causæ cognitione procedere valent: docent late Vega, & Balboa *in presenti*. Angajanus *lib.* 3. *de legibus, cap.* 23.

7 Respondetur difficultatibus.

Nec obstat prima difficultas deducta ex illis verbis textus *in cap. licet*, ibi: *Præsertim vacante Imperio*; nam in ejus textus specie litteræ Pontificiæ in causa temporali sustineri poterant, non solum quia vacante Imperio penes Innoc. III. omnis potestas temporalis refidebat: verum quia juxta consuetudinem Vercellensem in causa etiam temporali appellari poterat ad Episcopum a judice sæculari, & per consequens omisso medio ad ipsum R. Pontificem. Irritantur ergo litteræ Apostolicæ ab Innoc. III. non ex defectu potestatis, sed ex defectu intentionis Pontificiæ: quia in animo Innocentii non erat primam instantiam ab his Judicibus, ad quos jure pertinebat auferre, ut probat Angajanus *d. c.* 23. *n.* 20. Faciunt plura, quæ pro hujus doctrinæ illustratione adducit Salgado *de retent. bullar.* 3. *par. c.* 2. Nec secunda difficultas obstat; licet enim viduæ pauperes, tamquam personæ miserabiles, possint aut ipsum Principem adire, aut judicem Ecclesiasticum, *ex l. unic. C. quando Imperator inter pupillum*, 1. 41. *tit.* 18. *par.* 3. late probant Castillo *lib.* 3. *controversf. c.* 15. *n.* 6. Velascus *d. q.* 52. Carleval. *d. quæst.* 7. tamen eo quod viduæ sint, prædicto privilegio non fruantur, imo actiones suas intendere debent coram judice proprio rei, quia tunc pro miserabilibus personis non habentur: quo casu exaudiendi sunt textus *in c. sicut*, *de v. s. cap. nuper, de donat. inter, c. ex litteris, de pignor. c. significantibus, de offic. deleg.* qui juxta hanc distinctionem exaudiendi, & interpretandi sunt, junctis Vega, & Balboa in præsenti. Et olim ex concessione Imperatorum etiam causas sæculares ad petitionem partis Judices Ecclesiastici judicare valebant, ex constitutionibus Theodosii, & Caroli Magni, relatis, *c. quicumque, c. volumus* 11. *quæst.* 1.

Huic conclusioni opponi potest textus *in c. ex parte* 64. *de appellation.* cujus interpretationem in ejus notis dabimus.

CAPUT XII.

Idem a *Pisano Archiepiscopo.*

SI diligenti meditatione. *Et infra*: Asseruisti te usque ad hæc tempora tenuisse, quod licitum sit clerico renuntiare, saltem in temporalibus causis, juri suo, & sibi laicum judicem constituere, præsertim ubi adversarii voluntas accedit: ac temere juramentum super hoc interpositum respondisti, immemor constitutionis illius, qua cavetur,

tur, pacto privatorum *b* juri publico minime derogari. Cum ergo jus hoc in Milevit. *c* & Carthaginensi *d* Conciliis sit specialiter promulgatum, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia publica pertrahant, alioquin causam perdant, & a communione habeantur extranei; & tam Episcopi, quam Diaconi, seu quilibet Clerici, in criminali, seu civili negotio, si derelicto Ecclesiastico judicio *e* publicis sese purgare voluerint judiciis, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione, civili vero perdant quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere: Manifeste patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeant, sed potius toti *f* collegio Ecclesiastico sit publice indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. Nec juramentum licite servari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur.

NOTÆ.

a *Pisano.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 3. & *in c. si diligenti, de proscript.* ubi extat alia pars præsentis Decretalis, & integra reperitur in dicta tertia collectione. In præsenti alloquitur Innocentius, seu rescribit Lothario qui fuit juris civilis glossator, ut ex Odofredo, & alius refert Pancirola *lib.* 2. *var. c.* 29. Ejus gesta narrat Ughellius *tom.* 3. *Ital. sacra, in Ecclesia Pisana, n.* 84. & de ipsa Ecclesia nonnulla adduxi *in c.* 8. *de tempor. ordin.*

b *Juri publico.*) *L. jus publicum* 38. *ff. de pactis, l.* 1. §. *si convenerit* 20. *ff. depositi, l. ultim. ff. de suis & legit. reg.* 27. *ff. de regul. jur.* quam regulam post Fabrum, Gothofredum, Giphanium, & Matthæum *in d. reg.* 27. Exponunt Faber *decad.* 12. *error.* 1. Schifordeg. *lib.* 1. *tract.* 12. Brouchorst. *centur.* 1. *assert.* 42. Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *disp.* 6. *q.* 10. Carballo *in cap. Raynuntius, part.* 2. *n.* 43. pro cujus regulæ expositione sciendum est, jus publicum bifarie accipi; aut ratione materiæ subjectæ, ad quam refertur; aut ratione communis intentionis, qua fertur, ut omnibus subditis dicatur, quod postea singulis applicandum sit, cum res, sive controversia evenerit. Et in hoc postremo sensu, antequam jus singulis casibus incipiat applicari, publicum, aut commune appellatur: in applicatione vero, cum huic, vel illi subdito dicitur in causa, quæ emergit, appellatur privatum, quia ob privatorum utilitatem latum est. Primæ acceptionis testis est Ulpianus *in l.* 1. §. *hujus studii* 2. *ff. de justitia & jure*, ibi: *Publicum jus est in Sacris, Sacerdotibus, & Magistratibus.* Et paulo superius. *Publicum jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat.* Sacra ergo publica censentur, quia publice, sive publica potestate consecrata sunt, *l. in tantum* 6. §. *sacra*, *ff. de divis. rer.* licet subtilis sit distinctio inter sacras, & publicas res, *l. sacra* 9. §. 1. *juncta l.* 1. *ff. eod. tit.* quia sacræ res divini juris sunt, publica vero, ut singulorum res, sunt juris humani. Præclarus textus *in l.* 1. *in princ. ff. de interdict.* Hinc apud Ansonium *in Grypho, seu edyl.* 11. tripartita juris fluxit divisio.

Jus triplex, tabula quod ter sanxere quaterna;

Sacrum, privatum, populi commune quod usquam est.

Sed frequentior est Jurisconsultis acceptio, ut sacrum jus commune etiam appelletur, idest publicum. Petr. Greg. *lib.* 2. *syntag. c.* 1. & 2. & *in methodo parva*, *lib.* 2. *c.* 2. Vincent. Cabotius *lib.* 1. *var. c.* 1. Lælius Mancinus *de triplici juris collat. lib.* 1. *c.* 1. Jacob Gutherus *de veter. jure Pontif. lib.* 1. *c.* 2. *in princ.* Donell. & Osuald. *lib.* 2. *c.* 5. Ratione materiæ jus fiscale, item rerum publicarum, & communitatum, quæ ad publicum spectant, publicum appellatur, *l. bona civitatis* 15. *l. cum qui* 16. *l. inter publica* 17. *de verb. significat.* notant Cujac. *l.* 2. *q. Papin. in l. jus publicum* 38. *de pact.* quo in sensu Galganetus, Gaesius, Sixtinus, & ceteri qui de regalibus scripsere, jus publicum usurparunt.

In secunda acceptione jus publicum frequentissime dicitur, videlicet jus illud, quo privati utuntur publice, propositum in contractibus, negotiis, testamentis, & ceteris emergentibus: ad quam acceptionem referenda est dicta lex 38. qua docemur, jus publicum privatorum pactionibus non posse immutari, veluti si filia in recipienda dote caveat, nihil se ex paterna hereditate reportaturam, non prævalet pactum, nec ab hereditate ideo remota censebitur, quia non potuit conventio juri publico derogare, *l. ult. de suis & legit. heredit.* Posset vero jam delatam repudiare, quod nemini dubium est, *l. is qui heres* 13. *l. is potest* 18. *ad acquir. hered.* sic similiter, si antequam testator decedat, heres pactus fuerit de non detrahenda Falcidia, hoc patum non foret efficax, *l. quod de bonis* 15. §. 1. *ad leg. Falcid.* Quod si jam ex lege sibi acquisitam a se abjiceret, a nemine prohiberetur, *l. si sponsus* 5. §. *si quis rogatus, de donat. inter.* Utrumque exemplum a Papiniano est, quo regula ejus apprime explicatur. Jus commune, antequam singulis appropriatur, accommodetur, applicetur, non potest immutari privatorum conventionibus: dicamus verbis Pragmaticorum, non potest renuntiari; sed postquam appropriatum est privatis, privatum est, cujus valet remissio, repudiatio, refutatio. Cujacius *d. l.* 2. *qq. Papin. in d. l.* 38. & *l.* 27. *observ. c.* 36. A. Faber *in jurispr. tit.* 1. *princ.* 5. Osualdus *ad Donell. l.* 2. *c.* 5. *litt. A.*

c *Milevitano.*) Ita etiam hæc verba tribuuntur Concilio Milevit. a Gratiano *in c. inolita* 42. 11. *q.* 1. Sed in nullo ex canonibus Concilii Milevit. reperiuntur verba hic ab Innocentio, & ibi a Gratiano relata: extant tamen in Concil. Tolet. 3. *can.* 13. ubi legitur: " Diuturna indisciplinatio, & licentia inolita
„ præsumptio usque eo in illicitis ausibus aditum patefecit,
„ ut clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia pu-
„ blica pertrahant: proinde statuimus, hoc de cetero non
„ præsumi, sed si quis hoc facere præsumpserit, & causam
„ perdat, & a communione efficiatur extraneus. „

d *Carthaginensi.*) *Can.* 15. relato *inc. placuit* 43. 12. *q.* 1. & in codice canonum Ecclesiæ Afric. *can.* 15. ita legitur: " Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen „ inustum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Eccle- „ siastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi „ pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & „ hoc in criminali actione; in civili vero perdat quod evi- „ cit, si locum suum obtinere maluerit. „ Post hæc verba adjiciuntur illa: *Cui enim ad eligendos judices*, &c. Quæ cum collectoris canonum essent, a librariis contextui inserta fuerunt, ut notavit Justel. *in d. can.* 15. His ergo canonibus levitas, seu procacitas clericorum coercetur, qui spretis, & relictis judicibus Ecclesiasticis, sæculari judicio se committunt: in quorum comprobationem refert Sozomenus *lib.* 4. *hist. Eccl. c.* 24. Sophronium Pompejopolis Episcopum fuisse exhauctoratum, quia judices exteros elegit.

e *Publicis judiciis.*) Idest jurisdictioni sæculari; judicia enim sæcularia dicuntur publica, quatenus opponuntur Ecclesiasticis cognitionibus, ut notavit Bertrandus *de Jurisperitis, in vita Marciani.*

f *Toti collegio.*) Beneficium in præsenti significat specialitatem fori, sive privativum forum, quo gaudent Ecclesiastici, prorsus discretum a sæculari. Asserit Pontifex indultum esse publice toti clericorum collegio, quæ verba arripuerunt Honorius III. in prælegato capite *significaverunt* 4. *de judic. in* §. *compil.* & Bonifacius VIII. *in c. penult. de foro compet. in* 6. juxta litteram integræ Decretalis. Non tamen significant corpus aliquod ex pluribus personis constans, ut grex, municipium, &c. *l. mortuo* 22. *de fidejuss. l. rerum missura* 30. *de acquirend. possess. l. proponebatur* 77. *de judic.* cum similibus, sed totius status congregationem, Græce Ἐκκλησίας. Qui per se status sufficiens est, & perfectus, cui sæcularis status in spiritualibus, ut alibi noto latius, subest. Ergo jus commune, publicum pro toto Ecclesiastico statu. Hoc jus publice indultum, inductamque est; a quo? An a Cristo immediate? an a sacris canonibus, epistolisque Pontificum? an a permissu Potestatum sæcularium, agnoscentium portionem illam ex sorte Domini esse, nec ad ditionem, dictionemque suam pertinere? Utut sit, quod alibi erit tractandum, constat specialitatem fori Ecclesiastici inductam esse præeunte divina ratione; primo Christianorum Principum permissionibus, sive edictis; deinde Pontificum decretis, & Conciliorum sanctionibus.

In aliud extremum declinavit D. Salgadus 2. *p. de retent. Bullar. c.* 11. *n.* 15. existimans, docensque ex professo per multos numeros sequentes; exemptos non posse se submittere jurisdictioni diœcesani, neque eam prorogare, aut suæ renuntiare. Et quamvis ipse plurimos citet, ut verum fatear, nullum invenio, qui tam mordicus hanc opinionem defendat. Per contrarium praxi, & usu negotiorum edoctus testor, vidisse me plura instrumenta censualia, in quibus Prælati, & Conventus se submittunt jurisdictioni ordinariæ Ecclesiasticæ, cum renuntiatione proprii, & juramento præcedente ad id superioris Provincialis auctoritate, ut ad obligationem principalem, contra quæ numquam vidi opponi exceptionem nullitatis renuntiationis, aut submissionis. Nec aliter emptores censuum religiosis pretia traderent, qui proculdubio deciperentur evacuatis renuntiatione, & submissione, ut considerat Justinianus *in d. l. si quis in conscribendo.* Ut ergo de hac doctrina sapientis alioquin Senatoris censeamus, primo dicendum est, textum in hoc capite *si diligenti*, ad eam minime pertinere, quia loquitur de beneficio toti statui clericali per sacras constitutiones indulto, prout in se complectitur etiam statum religiosum, ut totum continet suas partes: & amplius loquitur de submissione foro sæculari, quod facere nulli licet Ecclesiastico. Et quamvis velimus dicere, posse applicari huic controversiæ textum *in cap. significasti* 18. *de foro compet.* quatenus non concedit clerico prorogare alterius judicis Ecclesiastici jurisdictionem sine sui Prælati consensu; sufficienter salvatur hic consensus ex licentia præstita per Prælatum provincialem Priori, aut immediato Superiori, qui cum Conventu gerit contractum cum renuntiatione, & submissione. Nec potest dici, esse ipsum Pontificem superiorem, cujus interest plures habere subditos; hos autem esse, qui ab Ordinariis exempti sunt. Nihil enim de hac superioritate minuitur per prorogationem in hac, vel illa causa: eo maxime, quia exemptio non est primo intuitu concessa Sedis Apostolicæ favore, cujus amplitudo vix quidquam per hanc subjectionem argumenti accipit, cui cuncta per mundum subjecta sunt, ut grex pastori, *cap. cuncta per mundum* 17. 9. *q.* 3. *c. antiqua* 23. *de privil.* cum similibus sed favore ipsius religiosi status, ut quietius Deo vacarent ipsi devoti, *c. luminoso* 6. 18. *q.* 2. docet Thom. Sanchez 1. *tom. in precept. Decal. lib.* 4. *cap.* 39. *n.* 32. Quamvis non negem, favorem etiam Sedis Apostolicæ in subjectione versari magis quam odium Ordinariorum, ut recte censet Erasmus Cokier *de jurisd. in exemptos* 3. *p. quæst. ult.* Licebit ergo prorogare forum diœcesani, ejusque se submittere jurisdictioni, iis qui exemptionem habent loco proprii beneficii,

ferit, quod non male probat textus *in dict. cap. luminoso*, ibi: „ Nec audeat ibi Cathedram collocare Episcopus, nec quam„ libet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordina„ tionem, quamvis levissimam, faciendi, nisi ab Abbate lo„ ci fuerit rogatus. „ Dicamus ergo breviter sic: Conventus illi, qui ratione privilegiorum, aut protectionis specialis immediate sunt subjecti Ecclesiæ Apostolicæ, & ad ipsius jus, proprietatemque pertinent, nihil quidquam de jure Romanæ Ecclesiæ diminuere possunt, eique detrahere transigendo, prorogando, remittendo absque summi Pontificis beneplacito: textus expressi sic intelligendi *in c. cum venissent 2. de in integr. restitut. c. cum tempore 5. de arbitr. c. cum olim 14.* alias *cl 2. de privileg.* Illi vero Conventus, qui cum tota Religione subsunt Sedi Apostolicæ, sed per se gradatim habent suos Prælatos, Superiores, Priores, Provinciales, Generales, possunt se submittere jurisdictioni Ordinarii, eamque prorogare, & expresse proprio foro renuntiare cum licentia illius superioris, cum qua alioquin se obligare, & res suas alienare possunt. Sic deciditur quæstio, quam pridem magnis contentionibus agitarunt de jurisdictione etiam contentiosa occasione Pœnitentialis: negantibus potestatem renuntiandi, prorogandi, aut sese submittendi, Abbate, Ancharano, & aliis antiquioribus, apud Marianum Socinum *in d. cap. significasti, num. 42.* concedentibus Federico de Senis *consil. 14. ex num. 5.* & Joanne de Lignano *in d. c. significasti*. Deciditur, inquam, ab Erasmo Chokier *de jurisd. in exemptos 2. part. quæst. 7. nu. 21. vers. conclus. 4.* & *duobus numeris sequentibus*, Beltramino Oliver. *in addit. ad Ludovisium decis. 325. num. 29.* Seraphino ab hoc laudato *decis. 95. num. 7.* & licet sub diversis terminis distinctionis, tamen sub eadem doctrina a Cenedo *quæst. 12. canonica, num. 7.* August. Barb. *in d. cap. cum tempore 5. de arbitris, num. 4. & 5.* qui plurimos referunt. Beneficium igitur toti collegio Clericorum, idest toti Ecclesiæ concessum, est jus commune fori Ecclesiastici, quod significant illa verba, *publice indultum*. Exemptio vero concessa statui religioso, quæ est portio status Ecclesiastici, licet optima, & maxima, est privilegium; quia non comprehendit totum statum Ecclesiasticum, sed partem. Itaque status religiosus prout est status Ecclesiasticus, habet suum forum Ecclesiasticum: ut vero specialiter dicit statum exemptorum, habet speciale forum privilegiorum Pontificis, aut Legati de latere missi. Illud forum, ut se submittant sæculari, non possunt a se abdicare, *d. c. si diligenti*: hoc vero possunt, si velint, ut coram diœcesano alias incompetenti conveniantur, *d. cap. Luminoso*. Verbi gratia Milites, qui portionem maximam, nobilissimamque continent sæcularis status, ut solet probari ex proœmio Institutionum, suum forum habent militare, *l. magisteria 6. C. de jurisdict.* cum aliis. Ex quo constat, esse privativum; & tamen voluntate militum in civilibus, & criminalibus caussis posse prorogari Præsidis communem jurisdictionem, probat expressus textus *in l. 1. C. ad l. Cornel. de sicar.* ubi hanc facultatem supponens, consilium Antonino præbet Herculano (an hic sanctus ille Martyr Herculanus, cujus sub Antonino martyrium Ecclesia celebrat 25. die Septembris? vide Martyrol. Rom. & alia) & aliis militibus, ut si se inculpatos probare possent de nece, quæ ipsis imputabatur, adeant Præsidem provinciæ, &c. Ex quo fic notarunt Bartolus, & communiter Classici, quos sequuntur Carleval. *d. tit. 1. disp. 2. quæst. 8. n. 1197.* Barbosa *in d. l. 1. de judic. 4. part. 1. ex num. 52.* Capibliacus *de Baron. pragm. 8. part. 1. nu. 112.* Item scriniarii, sive qui militant in quatuor scriniis, memoriæ, epistolarum, libellorum, dispositionum, forum habent privilegiatum, ut conveniantur coram Magistro officiorum dumtaxat, *l. in sacris 12. C. de proxim. sacror. scrin. lib. 12.* Possunt tamen alienum judicium prorogare. Bart. Bald. & Classici per textum ibi, *in d. l. si quis in conscribendo, & in d. l. in sacris*, Carleval. *d. n. 1197.* Barbosa, & Capiblanc. supra adducti. Scholastici, speciosissima totius Reipublicæ portio, & nunquam numero maxima, etiam quando concursu frequentissima; quia non est status, sed institutum tendens ad statum perfecte assequendum, possunt prorogare, & se submittere alienæ jurisdictioni, ut dixi supra. Familiares Ministri sanctæ Inquisitionis Officii, quæ est pars sæcularis status honorabilissima, simulque expedientissima tutelæ Fidei, se submittere possunt, & prorogare jurisdictionem sæcularis judicis, ut sententia communi Doctorum, decretisque Aulæ Competentiarum receptum est, docent, & commemorant Cenedus *ad q. 12. canonicam, nu. 6. & 7.* Narbona *in concordia, glossf. 21. ex n. 30.* Quamvis enim hi omnes, & ceteri similes corpus, familiam, collegium, communitatemque constituant, cum non dicantur esse status publici, beneficium quod ipsis indulgetur, non publice indultum, sed privatim concessum censetur, prout hæc corpora a rebus publicis discernuntur, *l. cum qui 16. cum seqq. de v. s.* Quare his accommodari minime potest decisio textus prælentis.

COMMENTARIUM.

9 Conclusio probatur.

EX hac Innocentii constitutione sequens deducitur disputanda assertio: *Clericus non potest fori privilegio renuntiare, constituteque judicem sæcularem, etiamsi juramento id promittat.* Probant eam textus *in d. c. inoliru 42. c. placuit 43. 11. q. 1. c. 2. & 3. 9. qu. 2. c. significasti, hoc tit. cap. significaverunt, de judic. in 5. compil.* cujus verba retuli *in cap. fin. de judic.* Synod. Carthag. *can. 107.* ibi; " De his qui publicorum, seu sæcularium judiciorum cognitionem ab Imperatore petunt, placuit „ ut quicumque publicorum, seu sæcularium judiciorum co„ gnitionem ab Imperatore petiverit, proprio honore privetur. „ Marcellinus *epist. 2. c. penult. de foro compet.* cujus verba retuli *in cap. penult. de judic.* Illustrant ultra laudatos in præsenti a Balboa, Garanna, Vega, Melchiore Kling, Fermosino, & Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, Quintanadvenas *lib. 1. Ecclesiast. c. 1. n. 8.* Donellus *lib. 17. comment. c. 20. vers. Illud*, Arellanus *lib. 2. antinom. cap. 3.* Raguel. Linglois, & Joannes Struchius *ad 50. Justin. constit. in l. si quis in conscribendo*, C. *de pactis*, Suarez *in defens. fidei, lib. 4. cap. 31.* Manrique *de different. utriusque fori, q. 42.* Caldeira *de error. cap. 2.* Cironius *ad tit. de pactis*, P. Gregorius *lib. 2. partit. tit. 9. c. 11.* Angujanus *lib. 2. de legib. c. 21. n. 20.* Faber *lib. 22. conject. c. 7.* Rachineus *lib. 8. controv. c. 4.* Balsam. *in d. can. 107. Synod. Carth.* Salgado *de retent. bullar. 2. p. c. 17. n. 4.*

10 Traditur dubitandi ratio.

Sed Lotharium Pisanum Archiepiscopum juris principiis subnixum existimasse clericos posse fori privilegio renuntiare, præcipue juramento accedente, probatur sequentibus juris principiis. Primum nascitur ex vulgari juris axiomate, videlicet, quemlibet posse his, quæ in favorem proprium constituta sunt, renuntiare, ut ab specie probat Justinianus in sua constitutione relata *in l. si quis in conscribendo*, C. *de Episc. & Cleric. l. si quis in conscribendo, Cod. de pactis*, data post Consulatum Lampadii & Orestis eodem die quo lex ultima *Cod. qui, & adversus quos*, lex ultima, C. *de tempor. in integrum restit.* lex ultima C. *de auctorit. præstand.* lex ultima C. *communia, de legatis*, lex unica, C. *de sententiis*: in ea enim veterem dubitationem decidens statuit, ut si quis fori exceptione se non usurum confessus fuerit, postea fori præscriptionem opponens, non audiatur: exempla subjungit, primo in militibus, qui propter cingulum habent jus revocandi forum ad judicem proprium, *l. Magisteria*, C. *de jurisd. l. si postea 7.* C. *de judic. l. ult.* C. *de apparit. Magistr. milit.* Secundo in sacerdotibus Provinciarum, non tantum Gentilitiæ religionis (erant enim adhuc tempore Justiniani Gentilium sacerdotia; inde de sacerdotio Syriarchiæ, & Alytarchiæ, Phæniciarchiæ, extant textus *in l. singuli*, C. *de offic. Comitis Orient. l. 1.* C. *de natural. liber. l. singul.* C. *de perit. success.*) sed & nostræ Catholicæ Religionis; in eis enim constituit, ut si privilegio suo fori renuntiaverint, amplius pœnitere non possint, nec exceptione fori uti valeant. Accedit, nam si privilegia in utroque jure sparsa percurramus, inveniemus, posse renuntiari ab eis, in quorum favorem constituta sunt, ut nonnulla recensentes probant Balboa, Vega, & Fermosinus *in præsenti*. Anton. Matthæus *in collect. Pandect. disp. 21.* M. Aurel. Galbanus *de usufruct. cap. 20.* Igitur & clerici in præsenti specie poterant fori privilegio renuntiare. Nec auctoritate Concil. Milevit. & Carthag. quibus arguit, increpatque ignorantiam prædicti Lotharii Innocentius, pro eo faciunt; nam licet in eis prohibeatur ad forum sæculare clericos a laicis trahi, & conveniri, non tamen vetatur, si tempore contractus conventum sit, ut clerici fori privilegio uti non possint. Igitur si tempore contractus clerici fori exceptioni renuntiaverint, postea ea uti non valebunt. Nec ratio decisionis ab Innocentio allata pro eo facit, videlicet ea quæ publici juris sunt, pactionibus privatorum remitti non posse. Nam si perpendamus privilegium fori, quod clericis competit, potius juris privati, quam publici esse cognoscemus; siquidem ejus utilitas potius singulos respicit, quam aliquam communitatem: unde succedit regula textus *in l. 1. §. hujus studii, ff. de just. & jure*. Nec interest, quod hæc utilitas ex publico in singulos derivetur: siquidem ea quæ propter jus publicum ad singulos spectant, privatorum pactionibus remitti valent, *l. juris 7. §. si paciscar, ff. de pactis*: notavit Cujac. *l. 2. qq. Papin. in l. jus publicum, ff. de pactis*. Ergo si privilegium fori primo, & principaliter in privatorum utilitatem fit concessum, licet secundario jus publicum respiciat, renuntiari potest. Secundum juris principium pro sententia Lotharii contra Innocentium nascitur ex natura juramenti confirmatoris, cujus principium est, actum alias nullum, & invalidum confirmare, & validum reddere, *c. 1. c. debitores, c. verum, c. si vero, c. ad nostram, el 2. de iureiur. c. quamvis, de pactis lib. 6. authent. sacramenta puberum. C. si adversus vendit.* ubi plura Donellus, & Guttierez. Igitur licet renuntiatio fori a clericis facta nulla esset, accedente tamen juramento vires obtinere debebat.

11 Traditur ratio decidendi.

Hæc tamen dubitandi ratione minime obstante, vera est, & rationi consona præsens Innocentii constitutio, cujus prior ratio redditur ab ipso Innoc. in illis verbis: *Cum igitur hoc jus*, &c. quibus docet, clericos non posse privilegio fori renuntiare, quia talis renuntiatio prohibita reperitur in Concilis Milevit. & Carthag. Secunda vero ratio, seu ipsius prohibitionis ratio provenit ex eo, nam cum exemptio clericorum toti collegio, & statui sacerdotali fit concessa, ut probavi *in c. 2. & 4. de Jud.* non potest ab uno ex ipso collegio renuntiari, quia nemo potest renuntiare his, quæ pro communitate, aut Republica sunt constituta, *l. Imperatores 37. ff. de pact. l. illud 5. ff. de pact. dotal. l. 1. §. 9. ff. de Magistr. convent.* Accedit principium illud inter DD. communiter receptum, videlicet quod si jus, vel beneficium aliquod commune fit cum alio pro indiviso, ne quidem pro parte renuntiantis sustinetur renuntiatio, *l. de die 15. l. Aelianus 17. ff. de pact. dotal. l. quos 7. ff. de postulando, l. filius, §. similes, ff. de procurat.* Unde cum privilegium fori concessum sit statui clericali, non possunt clerici ei renuntiare in dedecus totius status Ecclesiastici, cum non sine magna offensione clericalis status possint clerici sæcularia tribunalia adire: unde plura prohibentur clericis propter dedecus, quod sequitur statui Ecclesiastico, ut negotiatio cum sæcularibus, *cap. 2. ne cleric. vel mon.* ibi: *Per quos constat in Ecclesia scandalum generari*. Item fine titulo ad sacros ordines ascendere, *c. 2. c. cum secundum, de prebend.* Trident. *sess. 21. de reform. c. 2.* ibi: *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere*. Unde nec pacto convenire possunt cum Episcopo, ut absque titulo ad sacros ordines ascendant, *c. cum super, cap. tuis, de prebend. cap. si Episcopus, eod. tit. in 6.* Facit etiam pro hac Innocentii constitutione argumentum deductum a privilegio canonis, quod clericis competit, *ex c. si quis suadente 17. q. 4.* Si enim clericus expresse renuntiaverit canonis privilegio, renuntiatio vires non habet, quia ille canon non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuit promulgatus, *c. contingit 36. de sentent. excomm.* Igitur similiter clerici fori privilegio renuntiare non valent; & cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, *c. in malis 22. q. 2.* & super re illicita præstitum non habeat vires, *cap. Quintavallis, cum vulgatis*; ideo etsi prædicta renuntiatio juramento firmetur, non sustinebitur. Alias hujus constitutionis rationes adducunt communiter repetentes in præsenti, supra laudati.

12 Diffolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra perpensa, qua moti Cujacius in præsenti, Struchius *in d. l. si quis in conscribendo*, existimarunt, Innocentium extra juris rationem constituisse, clericum non posse renuntiare fori privilegio, & in judicem sæcularem consentire. Sed pro difficultatis solutione sciendum est circa attributionem jurisdictionis dubitari olim cœpisse, utrum conventionibus privatorum attribui posset ei, qui revera Magistratus esset, sed incompetens? Dicamus sic: utrum conventionibus prorogari posset jurisdictio, si inter duos qui erant litigaturi, convenissent, ut coram illo Magistratu, alias incompetenti, judicio contenderent? Placuit conventionem non præstare, locum esse pœnitentiæ, donec judex de facto aditus fuisset, *l. si convenerit 18. de jurisdict.* Quia antequam incipiant litigare, jurisdictio, & potestas proprii Magistratus juris publici est, quod privatorum conventionibus non potest immutari. Quod disputant hic Auctores, an si stipulatio esset interpositа, saltem ex ea agi posset ad id quod interest, contra partem, quæ fidem fregit, e re non est. Ausim quippe affirmare, nullius etiam momenti esse stipulationem, utpote contra jus publicum interpositam; sed de ea re alibi latius tracto. Cum hæc quæstio ab Africano decisa esset, aliam sumpsit discutiendam, & decidendam Justin. sive Codicis compositores *in d. leg. si quis in conscribendo 49.* alias *51. C. de Episc. & Cleric.* & *in d. l. si quis in conscribendo 29. C. de pactis*. Diversæ quippe sunt quæstiones, ut cuilibet perspicienti constabit, non contrariæ, ut facessant Bronchorst. Pacius, Genoa, & quotquot antinomiam existimarunt inter hæc testimonia inveniri, aut correctionem. Quæstio (inquam) a Justiniano excogitata, exagitataque hæc est: In initio contractus, in continenti, idest dum inter partes conveniunt, placuit ut qui se obligabat soluturum vel pretium rei a se emptæ, vel mutuo acceptam pecuniam, renuntiare foro privilegiario, quo gaudebat propter militiam, vel propter diguitatem, vel propter sacerdotium. De cujus renuntiationis præstantia antea, ut dixi, dubitabatur. Non invenitur juris fragmentum, ex quo odorari possimus dubitationem hanc; nam Africanus de diversa specie loquitur: sed verosimile est, compositores in controversia jam decisa abstulisse contrarias opiniones, ejusque vestigia. Decidit ergo Justinianus, non licere huic paciscenti venire contra suam conventionem. Duplicem affignat rationem. Prima, quia contrahens deciperetur spe pacti, cujus fiducia fidem habuit de pretio, vel mutuam pecuniam dedit; cum supponat non esse contra leges, aut bonos mores; & alioquin pactum in initio contractus celebratum pars ipsius fit, *l. fundi partem 79. de contrah. empt.* Secunda ratio est, quia privilegiaria fora in favorem subditorum conceduntur: ast cuilibet licet juri pro se introducto renuntiare, cum sit privatæ utilitatis. Hanc dicit esse regulam juris antiqui, quæ deducitur *ex l. pactum 46. ff. eod. tit.* & ex aliis, quæ adducunt glossæ.

13 Innocentius III. in præsenti, & Honorius III. ejus successor, *in c. significaverunt 4. de judic.* in sua compilatione apud Cironium, cum viderint hanc constitutionem renuntiationis fori clericorum plus justo obtinere in Provinciis Christianis, contrariam ediderunt pro ea parte, quæ ad clericos attinebat, sancientes, ut clericis non liceret foro Ecclesiastico renuntiare, & se submittere judici laico, etiam in sæcularibus negotiis: de qua renuntiatione, & submissione expresse loquitur Innocentius noster, non de submissione, aut prorogatione erga alium judicem Ecclesiasticum, quæ non est prorsus sublata, sed in casu non assentientis proprii Episcopi, *d. c. significasti 18. hoc tit.* quod forsan posterius est tempore, & in supplementum præcedentis Decretalis emissum. Duplici etiam ratione convellit Pontifex, & sugillat prædictam Justiniani constitutionem. Primo asserit, renuntiationem hanc non esse juris privati, sed publici, quod secure docet, privata conventione non posse jus publicum immutari, quod a jure est, *l. jus publicum 38. de pactis*. Deinde asseverat, hoc privilegium non esse personæ concessum, sed toti collegio clericorum: in quo sensu quadantenus publicum etiam reputari potest, cum sit sacerdotum jus, *d. l. 1. hujus studii, de just. & jure*, ex quo infert, nec posse huic juri ab uno renuntiari. Interferit multas canonum constitutiones, quarum pleræque hodie inveniuntur compilatæ a Gratiano *causa 11. quæst. 1.* quibus sæcularia judicia adire clericis inhibitum est; aliasque a Clemente, Synodoque Romana sub Sylvestro adducit Cironius in eumdem scopum collimantes, *in paratitlis ad titulum de pactis*, maxime canonem 107. Concil. Carthag. quo cautum est, ut clerici inter se contendentes judicium publicum non peterent, hoc est sæculare: ex quarum recensione redarguit Archiepiscopi Pisani imperitiam, qui a falsa opinione ductus, vel falso stilo Tribunalium deceptus, existimaverat, renuntiationem fori Ecclesiastici in negotiis civilibus a clericis factam, ut se submitterent sæculari judicio, validam esse, præcipue juramento firmatam. Et hanc esse genuinum sensum constitutionis existimo, quam tamquam derogatoriam dictæ legis *si quis in conscribendo*, in puncto Ecclesiæ jurisdictionis, merito agnoscunt post nonnullos veteres classicos, Gothofredus *in notis*, Anton. Faber *in ration. ad l. 1. de judiciis*, omissa subtili interpretatione, sed nimis restricta, quæ contextui non convenit, Petri Barbosæ *in l. alias 15. §. elegantes, ff. solut. matrim. ex num. 18.*

14 In hanc Decretalem acriter, & parum pie invehit Jacob. Cujacius in peculiari ad eam recitatione, quam integram transcripsit livide, & livido animo carpendi Innocentium, Matthias Stefanus Pomeranus *lib. 1. de jurisdict. c. 2. ex n. 16.* Facile mihi persuaderem, non esse illam relectionem Cujacii, sed alicujus novatoris, qui delitescens sub ejus larva, voluisset in Pontificem debacchari, nisi offendissem locum magis certum ejusdem Auctoris, in quo nihilo magis bonæ Innocentii memoriæ propitius est: extat *tr. 7. ad Afric. in leg. trajectitia 33. de obligat. & action.* ubi occasione cujusdam statuti Neapolitani, quod prohibet renuntiari legi *etsi post tres, ff. si quis caution.* in hac temeraria verba prorupit: " Et eadem est „ stultitia non permittere sacerdoti renuntiare præscriptioni „ fori: nam si sacerdoti non licet, qua ratione ille ait, quod „ renuntiatio deroget juri publico, quæ est falsissima, nec „ alii cuilibet licet renuntiare præscriptionem fori: at vero „ licet cuilibet, & sacerdoti igitur. „ Rationes quibus doctissimum Pontificem impetit, hæ sunt. Quia forum clerici est proprium & privatum jus, quod habet ab initio contractus, ut in foro Ecclesiastico coram Ecclesiastico judice conveniatur. Privatum jus renuntiabile est, ergo & hoc. Deinde jure civili clerico licuit hæc renuntiatio: vetustiore jure Ecclesiastico non fuit prohibita: Igitur nec Innocentius debuit prohibere. Item juri publico non derogat, qui se subjicit jurisdictioni judicis non sui, suo dimisso, *l. 1. & 2. de judiciis*: ergo nec clericus qui renuntiat. De vi juramenti, & de explicatione canonum Conciliorum, quos pro suo jure publico adduxit Innocentius, postea verba facit, quæ percurrere hujus chartæ non est: forsan non deerit occasio trahendi finem cum Cujacio super iisdem. Et agnoscit, si extra contractum promisisset, aut jurasset clericus, se præscriptione fori non usurum; si postea conveniatur ex contractu post gesto, esse pactionem contra jus publicum. At si in ipso contractu juravit, ex quo nascitur actio, contendit non esse jus publicum, sed privatum. Denique post devictum, ut sibi videtur, Pontificem, sic conclamat: Constituat Innocentius quantum volet, ne ullus clericus se subjiciat jurisdictioni sæculari, & sit hoc ratum deinceps: at ne hoc prætextu utatur, quod pactis privatorum juri publico detrahi non possit, quia hæc ratio non congruit. Hermannus Vultejus *in l. 1. Cod. de jurisdict. ex nu. 117. usque ad numer. 125.* qui doctrinæ eidem institit, nihil plus adjecit, quo indigeamus ipsi respondere.

15 Cujacio intendit satisfacere Cironius *ad tit. de pactis*, quod præstitit eleganter, sed non admodum plene: quare nos præstare curabimus aliquanto plenius, & ex ordine. In primis debuit Cujacius demonstrare, forum clerici fieri privati juris ex tempore contractus, quod non facile probabit. Fatemur quidem ex contractu nasci obligationem, quæ velut filia ipsius est, *l. 1. in princip. de oblig. & action.* & ex obligatione actionem; nam hanc illa parit, ut dicitur *in l. licet 42. §. ea obligatio 2. ff. de procurat.* quæ est jus persequendi in judicio, quod nobis debetur, ut definitur in Institutionibus. Nam sine actione regulariter reum in judicium trahere non possumus, *l. pupilli 6. §. ult. de negot. gestis*. Jus vero, & judicium forum est, & locus tribunalis, in quo Magistratus potestatem suam exercet, *l. jus pluribus 8. de justit. & jure*. Negamus tamen statim proprie forum sortiri eum, qui contraxit, & statim fieri ipsius forum determinate, ut ex jure publico fiat jus privatum, donec incipiat litigare, & rem ad judicium perducere, cum possit liti cedere, solvere, non litigare, non se defendere, si hoc prætulerit: quare dicitur judicium reddi in invitum caussative, *in l. inter stipulantem 83. §. 1. de verb. obligat. junctis l. destitisse 10. §. 1. de judic.* Ut jus successionis legitimæ antequam deferatur, juris publici est, nec renuntiabile; delatum repudiari, & refutari potest, *d. l. ult. de suis & legit. hered.* Ita forum, antequam lis incipiat, & judex adeatur, juris publici est; postquam vero judex est aditus, incipit privati juris esse. Cujacius pro sententia sua allegat Justiniani textum: ego pro sententia mea offero Innocentium nostrum, quem maximum, & doctissimum Jurisconsultum non semel appellavit idem Cujac. Utri ergo credendum est.

16 Secunda ratio vix meretur responsionem. Jure civili licuit clerico renuntiare foro ecclesiastico: ergo & licuit jure antiquo canonum ante Innocentium. Si per jus civile intelligit Justiniani constitutionem, fatemur; sed inter Catholicos, quænam, rogo, potestas est sæculari Principi circa ecclesiastica? plane nulla, *c. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. cap. bene quidem, 96. dist.* cum similibus. Si omnes constitutiones, etiam quæ

quæ per Irnerium Codici insertæ sunt, intueamur, & inter eas novam constitutionem Frederici, quæ extat in Authentica *statuimus*, C. *de Episc. & cleric.* contrarium forsan erit dicendum, dum enim judici, & actori pœna imponitur, si clericus trahatur super criminali, aut civili judicio ad tribunal sæculare, quasi hoc sit contra Imperiales leges, & canonicas sanctiones, satis perspicitur hoc jus non esse privilegium clericorum, sed jus commune ecclesiasticum; jus enim commune & generale est, ut actor forum rei sequatur, *cap. cum sit generale, hoc tit. l. 2. Cod. de jurisdict.* Justinianus ergo prout illa tempora ferebant, putabat esse privilegium, quod clericus in civilibus coram Episcopo, vel Præside conveniretur: hoc plenum dementiæ erat, ut alibi opportunius dicetur. Fredericus certi conscius agnovit esse juris communis ecclesiastici, ut clericus reus coram suo judice conveniretur. Hoc jus κοινὸν appellat Cironius optime, quia non minus est publicum, non minus commune, quod ad statum sacerdotalem spectat, quam quod pertinet ad statum Reipublicæ, ut vel ipse Ulpianus agnovit, *in d. l. 1. §. hujus studii, de justit. & jure*, juncto textu *in can. duo sunt quippe, 99. dist.* Quod forsan Cujacius ipse agnovit *lib. 2. qq. Papin. in d. l. jus publicum 38. de pactis*, brevibus verbis: *Item pacta inter privatos facta non valere contra jus Reipublicæ, & ad hoc Ecclesiam trahi, quia in jure semper comparatur Reipub.*

17 Jam consecutio minus legitima est: Innocentius reprehendit Episcopum Pisanum, quia sustinebat, ut clerici proprio renuntiantes foro, litigarent coram Magistratibus sæcularibus: ergo ante eum licebat hoc facere. Minime gentium, neque hoc ulli Jurisperito probabit, aut persuadebit. Videat canonem Matisconensis Concil. apud Gratianum *cap. nullus clericum 6. 11. qu. 1.* ubi triginta & novem plagarum pœna imponitur clerico in minoribus constituto, honoratiori vero inclusio triginta dierum, qui patitur se trahi in criminali, vel civili negotio ad judicium sæculare, *c. relatum 14. c. experientia 15. c. clericum nullus* (secundum vulgarem allegationem; neque enim ignoro aliter legi in ipso Concilio Agathensi, cujus mentem expressit satis acommode Joan. Barclajus *in vindiciis pro Gullielm. parente, cap. 34 §. 7.*) *17. c. inolita 42. ead. causa, & quest.* in quibus idem prostat jus, sive expressum, sive adumbratum; quod non licet amplius explicare. Interim tamen videndi sunt Michael Roussel. *in hist. Pont. jurisd. lib. 4. c. 4.* Barclajus *in lib. nuper citato, totis cap. 34. & 35.* Innocentius Cironius *ad tit. de offic. Ordin.* Renatus Chopinus *Ecclesiasticon, sive de sacra pol. lib. 2. a princip.* Franc. Bozius Eugubinus *de tempor. Eccles. Monarch. lib. 2. in princip. usque ad c. 8.* strictimque noster D. Ferdin. de Mendoza *pro confirmando Concilio Illiber. l. 3. cap. 38.* Henricus Canisius *ad eumd.* Ansaldus *de jurisdict. 2. p. tit. 11. c. 1. ex n. 35.*

Jam tertia Cujacii ratio futilis est, & tanto Jurisconsulto indigna: Clerico, & cuilibet licet, inquit, coram alieno judice litigare, & se submittere jurisdictioni judicis incompetentis: ergo clerico, & cuilibet licebit proprio foro renuntiare. Offendit indifferentia prorogationis, & renuntiationis. Non est idem prorogare incompetentis judicis forum, & renuntiare proprio, ut supra dixi: facilius prorogatur jurisdictio, quam proprio foro renuntiatur. Sed & hoc argumentum ad clericos respectu fori sæcularis parum facit, cum debeamus fateri, judicem sæcularem respectu Ecclesiasticorum esse prorsus incapacem, ejusque jurisdictionem in his causis improrogabilem. Tantum ergo concluderet, posse prorogare jurisdictionem judicis Ecclesiastici, quod liceret, nisi specialibus iisdemque justissimis rationibus noster Innocentius sustulisset *in d. cap. significasti 18. hoc tit.* 18

C A P U T XIII.

Idem a *Beluacensi Episcopo*.

Cum contingat interdum in tua. *b Et infra:* Insuper postulasti, an cum aliqui clerici deputati servitio Capituli Beluacen. vel aliorum clericorum tuæ diœc. super criminibus impetuntur, cogendi sint coram te, vel potius coram illis, quibus serviunt, querelantibus respondere, cum illi sibi jurisdictionem hujusmodi vindicare contendant, licet illos *c* excommunicare non valeant, vel alias coercere. Super quo f. t. t. respondemus, quod ad te, utpote *d* Ordinarium judicem, debent de talibus conquerentes habere recursum, maxime si super his criminibus impetuntur, quæ in tua dignoscuntur diœcesi commisisse: nisi forte ii, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia, vel *e* consuetudine speciali jurisdictionem hujusmodi valeant vindicare.

NOTÆ.

1 a *Beluacensi.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 1.* Belovacensis civitas est in Gallia super Taram sita. Cæsar *lib. 2. de bello Gallico*, ibi: " Plurimi inter „ Belgas, Bellovacos, & virtute, & auctoritate, & longe numero valere, ac posse conficere armatam millium centum. „ Ejus descriptionem tradit Papirius Masonius *in descript. Galliæ, pag. 322.* Habet Ecclesiam Cathedralem D. Petro dicatam, ejusque Præsul Par, & Comes Franciæ est: ejus mentio fit in epigraphe textus *in c. sicut 9. c. cum in tua 44. de testib. c. cum in tua, de decimis, c. 6. de appellat. in 5. collect.*

b *Et infra.*) Ita habetur *in dict. 4. collection.* sed supplenda est hæc Decretalis *ex c. cum contingat, de jurejurand. c. cum contingat, de decimis*, ubi sunt aliæ partes ipsius epistolæ. 2

c *Excommunicare.*) Quia forsan illi habebant jurisdictionem tantum sine Imperio, cujus ratione potestas excommunicandi competit, ut probavi *c. 1. de offic. deleg.* 3

d *Ordinarium.*) Ad judicem enim ordinarium spectat coercitio delictorum in subditos, ut late probavi *in cap. 1. de offic. ordin.* 4

e *Consuetudine.*) Jurisdictionem acquiri consuetudine, sæpe sæpius in hoc libro monui, ut docet Cæsar *de eccles. hierarch. disp. 5. §. 1. num. 10.* 5

C A P U T XIV.

a Idem *Selesfvvicens. Episcopo*.

Postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, utrum sacerdos Ecclesiam habens in una diœcesi, & residens in eadem, domicilium vero *b* patrimonii ratione in alia, ibique delinquens, ab Episcopo, in cujus habet diœcesi patrimonium, pro delicto ibidem commisso debeat judicari, præsertim in causis, quæ officii, seu beneficii privationem exposcunt. Ad quod breviter respondemus, quod per Episcopum, in cujus deliquit diœcesi, sententia promulgari poterit in eumdem; sed ab Episcopo in diœcesi cujus Ecclesiam obtinet, erit quoad ipsam Ecclesiam hujusmodi executio sententiæ facienda. *c* Quæsivisti præterea, utrum contra quosdam contempta excommunicationis sententia debitas Ecclesiis decimas subtrahentes, tibi regiam implorare liceat potestatem; cum ad solutionem ipsarum vix absque sanguinis effusione valeant coarctari. Ad quæ tibi duximus respondendum, quod si te de hujusmodi querimonia simpliciter deponente, Rex cui ad bonorum laudem, & malefactorum vindictam gladius est commissus, in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiæ imputandum: *d* Cœmeteria vero, in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur per suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Ecclesiarum dedicationibus consuevit. Procurationes autem quæ visitationis ratione debentur, sine manifesta, & necessaria causa non exigas, nisi cum personaliter officium visitationis impendis. Tu denique, frater Episcope, super te ipso, &c. Datum Later. 3. Kal. Maji, Pont. nostri anno *e* sextodecimo.

NOTÆ.

1 a *Idem.*) In hac sexta collectione tantum legitur *Idem*: in quarta vero, *sub hoc tit. c. 3.* legitur, *Idem Vvicensi Episcopo*: sed Cujacius in præsenti existimat legendum esse *Silvanectensi*, cujus sententia probari potest ex epigraphe textus *in c. postulasti, de homicidio*; ubi cum alia pars hujus textus refertur, legitur *Silvanectensi Episcopo*. Sed omissa hac Cujacii sententia, legendum est, *Selesfvvicensi*, ut habetur in epistolis Innocentii III. editis a Bosqueto *lib. 4. regest. 16. ep. 26.* ex qua epistola restituimus textum, & inscriptionem. Selesfvvicensis Ecclesia est in Dania, suffraganea Episcopi Lundensis: cujus meminerunt Krantzius *lib. 3. Metropol. cap. 5.* Idumay *in notis ad Innoc. d. epist. 26.* & nos *in c. consultationi, de spons.*

2 b *Patrimonii ratione.*) Non quia propter patrimonium acquiratur domicilium; absque habitatione enim illud non contrahitur, *l. 2. C. ubi Senatores*: quæritur enim animi destinatione, aut decennali habitatione, ut late docet Narbona *in l. 20. tit. 1. l. 4. recopil. n. 32.* unde potest habere diversa domicilia, ut post plures probant Carleval *de judic. t. 1. disp. 2. qu. 1.* D. Joannes de Larrea *decis. 94.* & nos dicemus *in c. fin. hoc tit.*

c *Quæsivisti præterea.*) Verba quæ sequuntur, reperiuntur *in c. postulasti, de homicidio.*

d *Cœmeteria vero.*) Hæc verba extant *in cap. consuluit, de consecr. Eccles.*

e *Sextodecimo.*) Qui fuit Christi 1213.

COMMENTARIUM.

Sequens ex hoc textu deducitur assertio: " Judex loci ubi „ delictum commissum est, de eo cognoscit, & si reus be- 3 *Conclusio probatur.*

„ neficio privandus veniat, executio fit per judicem proprium „ ratione beneficii. „ Probant eam textus *in c. 13. q. 6. c. Paulum 2. q. 3. c. final. hoc tit. c. 1. de privileg. in 6. Clement. pastoralis, de re judic.* Conc. Trid. *sess. 7. de reform. c. 14.* Synodus ad Compendium *c. 5.* ibi: " Placuit etiam pro communi utilitate, & „ instanti necessitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, „ si ejus parochianum pro deprædationis causa alter Episcopus excommunicaverit. „ Et *l. ult. ff. de noxal. l. 3. ff. de offic. Præsid. l. 28. §. fin. de pœnis, Novel. 8. c. 8. & 69. c. 1. l. 3. tit... §. 1. de homicid. in collat. legum Mosaic.* ubi Pamelius, & Pitheus, *l. ult. ff. de accusat. l. 3. ff. de re milit. l. solent, l. sicut 7. § idem, ff. de custodia reor. l. celebri 28. §. ult. ff. de pœnis, l. relegatorum 7. §. interdicere, ff. de interdict. & releg. l. 1. C. ad leg. Cornel. de sicar. l. 1. C. ubi de criminibus, l. 1. C. ubi Senator. l. 1. C. Theodos. de accusat. l. 11. & 12. C. Theodos. de jurisd. c. si peccaverit 2. q. 1. Clement. unic. de pœnis.* Consonant textus *in l. 32. tit. 2. p. 3. l. 15. tit. 1. part. 7. l. 1. tit. 17. lib. 8. ordin. l. 1. tit. 16. lib. 8. recop. Novel. Theodosii de amota militantibus fori præscriptione*, ibi: " Veteres leges specialiter fori præscriptionibus, & „ contractus, & delicta, & negotia gesta subtrahere, nec „ pati aliquem, quidquid in qualibet Provincia criminose „ commiserit memorata, *Symmach.* in epist. *ibi*: Facinus ubi ad- „ missum est, debet expiari. *Cyprian.* epist. 1. ad Cornel. *ibi*: „ Æquum, *inquit*, & justum est, ut uniuscujusque causa il- „ lic audiatur, ubi est crimen commissum. „ Illustrant ultra congestos a Barbosa, Vega, Kling. Balboa, Garanna, & Fermosino *in præsenti*, Carleval *de jud. lib. 1. disp. 2. qu. 7. ex n. 757.* Parexa *de instrum. edit. t. 2. tit. 1. resol. 9 n. 20.* Idumay *in notis ad ep. Innoc. d. epist. 26.* P. Barbosa *in l. heres, n. 3. ff. de jud.* Farin. *de inquis. q. 7. ex n. 8.* Fachineus *lib. 9. controv. c. 19.* Paz *in l. 9. styli, pag. 88.* Didac. Perez *in l. 1. tit. 17. lib. 8. ordin.* Tiber. Decian. *tr. crim. p. 1. lib. 4. c. 17.* Coqueus *in Morneum pag. 132.* Vultejus *in d. l. 1. C. ubi crim. & vol. 1. consil. cons. 16.* Joan. Calderin. *in c. 1. de raptor.* Gibalin. *de censur. disq. 2. q. 3. pag. 115.* Petr. Greg. *l. 4. partit. tit. 10. c. fin.* Basil. Legion. *lib. 5. de matr. c. 7. §. 2.* Vighel. *in meth. jur. can. l. 1. c. 6. q. 7.* Bosquet. *ad Innoc. l. 1. ep. 27.* Cujac. *l. 10. qq. Papin. in l. ult. ff. de accusat. & in novella 53. Justin.* Angujan. *de legib. l. 3. c. 32. n. 9.* Anton. Matthæus *de crimin. ad tit. de accusat. c. 5.* Pancirola *l. 2. var. c. 172.* Pitheus *lib. 3. collat. legum Mosaic. tit. 1. de homic.* D. Nicol. Anton. *de exilio l. 1. c. 13. n. 3.* Besoldus *t. 1. polit. dissert. 2. de jure civium, c. 7.* Bobadilla *l. 2. polit. c. 13. ex n. 71. & c. 16. n. 154.* Solorzan. *t. 2. de jure Ind. c. 15. n. 38.* Guazin. *de defens. 1. c. 15. 16. 17. 25.*

4 *Impugnatur tradita conclusio.* Sed in hanc assertionem ita illustratam sic insurgo. Tam in civili, quam criminali causa actor semper debet sequi forum rei, *l. 5. C. de jurisd.* probavi *in c. cum sit 8. hoc tit.* sed forus rei est ubi ipse domicilium habet, *l. 2. C. eod. tit.* igitur ratione criminis reus, qui delictum admisit, conveniri debet in loco domicilii, unde Celsus *in l. non est 11. §. 1. ff. de custod. reor.* affirmat solere judices reos cum elogio puniendos remittere ad eum, ubi delinquens domicilium habet: igitur non ubi delictum admisit. Augetur primo hæc difficultas ex eo, nam jus dicenti extra provinciam impune non paretur, *l. ult. ff. de jurisd.* unde quilibet Magistratus debet sententiam dicere in ea provincia, in qua jurisdictionem habet, *l. cum unus, 12. §. 1. ff. de rebus auctorit. judic.* Igitur Judex cognoscendo de delicto ab alieno subdito perpetrato, non potest eum privare beneficio, quod in aliena diœcesi obtinet. Secundo augetur hæc difficultas ex argumento deducto a foro interiori; parochianus enim, qui in una Parochia delictum perpetravit, illud confiteri debet proprio sacerdoti, *c. omnis, de pœnit. & remiss.* igitur similiter in foro exteriori delictum a judice proprio ratione domicilii judicandum, & vindicandum est.

5 *De diversis foris.* Adhuc defendenda est præsens Innocentii constitutio, pro cujus expositione sciendum est, clericum forum proprium sortiri, aut ratione beneficii, aut ratione domicilii, originis, seu delicti. Ratione beneficii sortitur forum in ea diœcesi, ubi possidet beneficium curatum, seu simplex, etiam exiguum; imo etsi capellaniam tantum obtineat, *cap. nullus, de tempor. ord. l. 6.* Barb. *de potest. Episcop. alleg. 4. per tot.* Marquinus *de sacram. Ordin. tr. 1. p. 5. n. 14.* Ratione domicilii, si alibi degat, & domicilium obtineat, quod acquiritur pluribus modis, ut si quis se transferat in aliquo loco animo perpetuo ibi remanandi, *l. domicilium, ff. ad municip.* Menoch. *de arbitr. casu 186.* Sanch. *de matr. l. 3. disp. 23. a nu. 1.* vel si deferat secum majorem partem bonorum, *c. dilectus, el 2.* & ibi Felin. *de rescript.* si domum habitationis causa emerit, vel si per decennium ibi habitaverit, *l. Cives, C. de incolis, lib. 10.* ubi Amaya *n. 105.* Narbona *ubi supr.* Ad forum ratione domicilii spectant textus *in l. qui ita 66. §. 1. ad Trebell.* juncto Fabro *l. 18. conject. c. 11. l. 28. §. ult. ff. de fideicommiss. libert. l. 7. C. de adopt. l. 5. §. ult. ut legatorum nomine, l. tutor. 35. §. ult. de jurejur. l. 4. §. etiam, de edendo.* Ratione originis sortitur quis forum in eo loco ubi natus fuit, *l. 1. ff. ad municip. l. cives, C. de incolis, l. 11.* vel ejus parens ortus fuit, *c. Rodulph. de rescript. l. assumptio, §. 1. ff. ad municip. l. si ut proponis, C. de incolis*: docent Alciat. *in l. in conventionib. ff. de verb. signif.* Decian. *d. l. 4. c. 16.* Ratione delicti etiam quis sortitur forum in loco, ubi delictum admisit, in eoque accusari potest, adeo ut Legatus, qui legationis tempore Romæ deliquit, revocari domum non possit, *l. non alias 24. §. 1. ff. de judic.* & si delictum commissum sit in mari, punietur ab illo Magistratu, qui in proximo portu imperium, jurisdictionemque exercet. Roderic. Suarez *alleg. 17. n. 1.* Gregorius per textum ibi *in l. 2. tit. 9. p. 2.* Tiber. Decian. *t. 1. crim. l. 4. c. 17. n. 29.* Bobadilla *l. 4. polit. c. 5. n. 6.* Larrea *alleg. 19. n. 2.* Giurba *cons. 50. nu. 29. & cons. 29. nu. 30.* Valenzuela *tom. 1. cons. 100. num. 55.* Solorzan. *tom. 1. de jure Indiar. l. 2. c. 6. num. 22. & c. 21. num. 65. & l. 3. c. 3.*

Secundo sciendum est in omnibus supradictis locis clericum delinquentem accusari posse, & a judicibus originis, domicilii, & beneficii, vel delicti puniri valere, ut probat Julius Clarus *§. fin. qu. 39. n. 1.* Petrus Carballo *resolut. crimin. casu 129. n. 1.* Franchis *decis. 47. n. 1.* Guazinus *to. 1. defens. reor. defens. 1. c. 15.* Carleval. *d. sect. 2. n. 735.* Basilic. *dec. 38. crimin.* Omnibus tamen illis præfertur judex loci, ubi delictum admissum est; ille enim est judex proprius ratione delicti, ex juribus supra citatis; & si alibi reus degat, potest per litteras requisitorias jubere ipsum comprehendi, & ad locum ubi delictum commisit, remitti, *l. 1. §. Præsides 2. de requirend. reis, l. 1. tit. 2. p. 7. l. 1. 2. & 3. tit. 16. l. 8. recopil.* plura ibi Azevedus, & Bobadilla *l. 2. polit. c. 13. n. 67.* & quilibet judex ex supra traditis tenetur reum puniendum remittere ad locum, ubi deliquit, *l. solent 7. l. non dubium 11. §. illud, ff. de custod. reor. authent. quia in provincia, C. ubi de criminibus, authent. si vero, C. de adulteriis*: variis ampliationibus, & limitationibus in praxi utilissimis exponit Carleval *d. sect. 2. ex n. 800.* Cujus doctrinæ variæ adduci possunt rationes. Prima, quia Reipublicæ expedit ibi puniri delicta, ubi perpetrata sunt, ut exemplo alii terreantur, *l. capitalium, §. famosus, ff. de pœnis, c. propter, 2. q. 7. c. ad liberandum, 17. de Judæis, c. cum dilectus, de calum. Clement. 1. de Offic. Ordin.* D. Thomas *1. 2. qu. 87. art. 3. ad 2.* Deinde quia per delictum offenditur territorium illud ubi admissum est; unde oportet ut ibi vindicetur, itaut illos, quos quis malo exemplo ad peccandum suasit, debita pœna soluta in officio contineat, & a peccando avertat, *l. 3. l. congruit, ff. de offic. Præsid.* & rectæ politicæ gubernationi convenit, ut ibi quis puniatur, ubi deliquit, *d. l. si cui, §. ult. l. ult. ff. de accusat. l. 3. ff. de re milit.* Secunda ratio provenit ex facilitate probationis; ob paratam enim probationem facilius constabit de delicto ubi commissum est, quam alibi; & pars læsa ibi facilius causam persequetur, quam in loco domicilii delinquentis: quas, & alias rationes prosequuntur Tyberius Decianus *d. l. 4. tr. crimin. c. 19.* Covar. *practic. c. 11. n. 3.* Carleval. *supra n. 802.* Angujanus *d. c. 32. n. 10.* 6 *Delinquens ubi accusari valeat.*

Deinde pro hujus textus vera expositione sciendum est, sententiam latam legitime a judice competenti, exequi ab alio Magistratu posse, & debere, sive in causa criminali, sive civili prolata sit. Judex enim, qui proprio jure sententiam dixit, potest suis litteris requisitoriis alium judicem, sive inferiorem, sive æqualem requirere, ut eam exequatur. Quæ doctrina jure nostro Pontificio aperte probatur ex præsenti decisione, *& ex c. 1. de raptor.* ubi fere eadem proponitur species, & *ex c. 1. §. contrahentes, hoc tit. l. 6. de privil. eod. lib. Clement. pastoralis 2. §. nos quoque, de re judic.* ubi postquam supposuit Clemens III. Rogerium Regem Siciliæ condemnatum fuisse ab Imperatore Henrico ex causa perduellionis, regnoque, & feudis privatum esse, ut nullitatis arguat prædictam sententiam, primo ait, quod cum Rex Siciliæ extra Imperii fines domicilium haberet, scilicet in Sicilia, & Pontifex illius ditionis judex esset ordinarius, quia regnum Siciliæ in feudum acceperat a Romana Ecclesia, debebat Imperator ipsum Rogerium citare litteris requisitoriis Summo Pontifici destinatis, juxta textus *in l. 1. §. Præsides, ff. de requirend. reis, l. solent 7. ff. de custod. reor.* Probatur etiam hæc doctrina de jure Cæsareo, *ex l. a D. Pio, ff. de re judic.* ubi plura congerunt nostri Vespertini juris Cæsarei Antecessores, Covarr. *in pract. c. 10. n. 2.* Carleval *de judic. disp. 2. ex nu. 17.* Guazin. *defens. 1. c. 16.* Roder. Suar. *in l. post rem, q. 5. ff. de re judic.* Pichard. *in manud. ad praxim, 2. p. §. 4. n. 44.* Parexa *de instrum. edit. d. resol. 9.* 7 *De litteris requisitoriis.*

Quibus animadversis apparet jam vera decidendi ratio hujus decisionis; nam cum ratione delicti Episcopus loci ubi delictum perpetratum fuit, possit cognoscere de clerico, qui illud commisit, & eum corripere, ac punire ratione propriæ jurisdictionis, quia ob delictum ejus forum sortitus fuit, & crimen illud pœnam privationis beneficii meretur, licet non possit delinquentem beneficio privare, quia illud obtinebat in Ecclesia alieni territorii; potest tamen eum propter delictum damnare, & litteris suis requisitoriis petere ab Episcopo proprio ratione beneficii, ut eum beneficio privet, & ita suppleat quod illi deest jurisdictionis; per has enim litteras requisitorias juvantur judices, itaut unusquisque eam partem jurisdictionis, quæ illi deest, ab alio consequatur. Quæ decisiva ratio illustrari potest *ex c. 1. de raptorib. Clement. pastoralis, de re judic.* 8 *Traditur ratio decidendi.*

Nec obstat difficultas supra pro dubitandi ratione adducta, cui satisfacit Donel. *l. 17. comment. cap. 16.* asserendo, verum esse, actorem debere sequi forum rei; sed ut in loco delicti eum accusat, ejus forum sequi: quia ut supra dixi, ratione delicti sortitur quis forum illius Magistratus, in cujus territorio delictum admisit. Illud modo videndum est, an in loco tantum delicti accusari possit, an etiam in loco domicilii, vel ubicumque reperiatur? Accursius enim, quem sequuntur plerique DD. congesti a Balboa *in c. fin. hoc tit. n. 150.* Bajo Arroyo ibi, *n. 24.* existimarunt, reum criminis semper accusandum esse in loco delicti, nec alibi conveniri posse, nisi sine certo lare vagetur, propterea quod ubivis habitare videatur; ideoque verba illa, *vel ubi reperiuntur*, dictæ legis 1. *C. ubi de criminib.* de vago homine intelligit Accursius. Sed asserendum est, reum criminis posse in loco domicilii accusari, vel ubi reperiatur, *ex d. l. 1. C. ubi de crim. l. 3. lege congruit* 9 *Dissolvitur dubitandi ratio.*

guit 13. *ff. de offic. Præsid.* Nec juvat Accursium, quod sæpe inculcavi in hoc commentario, reos ibi puniri debere, ubi deliquerunt, *l.* 7. §. *penult. ff. de accus. l. capital.* 28. §. *famosos, ff. de penis*; hoc enim non tantum evincit in loco admissi facinoris eos puniri posse, sed necesse non esse, ut accusator sequatur eorum domicilium, aut ut a judice in locum domicilii remittantur: potest tamen judex loci, in quo crimen admissum est, petere, ut cum prosecutione idonea ad se remittantur, *l. solent* 7. *ff. de custod. reor. novel.* 134. *c.* 5. Verum ea ipsa postulatio arguit posse etiam reum ubi reperitur puniri, si non fuerit a judice alterius Provinciæ remissio postulata. Præcipuus tamen, ut supra dixi, est judex loci ratione delicti, ut docet Carleval. *ubi supra*. Circa hæreticos tamen dubium non est, eos extra locum delicti primi, ubicumque reperiantur, puniri posse, quia crimen hæresis habet in se causam continuam, & successivam, ut docent Penna ad Eymericum *p.* 3. *comm.* 91. Simanchas *de cathol. instit. tit.* 2. *nu.* 14. Scacc. *de judic. l.* 1. *c.* 23. *nu.* 4. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 7. Solorzan. *t.* 2. *lib.* 3. *c.* 24. quia hæreticus in hæresi persistens, quotidie idem delictum patrare videtur; & sic hac de causa ubicumque depreheuditur, ratione delicti fortitur forum. Nec obstat argumentum primum prædictæ difficultatis; nam in hoc textu expresse asseritur, Episcopum proprium ratione beneficii, requisitum ab eo, qui de crimine cognovit, exequi ejus sententiam, & reum privare beneficio debere: non autem docetur, judicem, seu Episcopum proprium ratione delicti posse privare beneficio in aliena diœcesi obtento. Nec etiam obstat argumentum deductum a foro interno, seu pœnitentiæ, ubi proprius Parochus, non vero ille, in cujus parochia crimen admissum fuit, debet delinquentem absolvere; nam cum esset ratio supra adducta, emendationis videlicet, & publicæ satisfactionis in foro interiori, ideo non idem jus servatur in foro interno, ac in externo.

10 Exponitur c. dilecti 55. de appell.

Sed primo superiori alsertioni adversatur text. *in c. dilecti* 55. *de appell.* ubi refertur, Guillelmum Altissiodorensem Episcopum Rectorem cujusdam Xenodochii, seu administratorem excommunicasse, & in vinculis conjecisse, eo quod furto quædam subtraxerat, nec reposcenti reddere volebat. Hugo Decanus ipsius Ecclesiæ asserebat, illius delicti cognitionem ad ipsum spectare, quia ipse Rector jurisdictioni illius subditus reperiebatur: quare Ecclesiam interdicto supposuit, aliaque præcesserunt, quæ refert Cujacius in eodem textu. Ex hucusque autem relatis ita conficitur difficultas. Prædictus Rector furtum commisit in Xenodochio, quod ex regula textus *in cap. de Xenodochiis*, *de relig. domib.* parebat legi diœcesanæ, & jurisdictioni ipsius Episcopi; & nihilominus non punitur ab Episcopo loci, ubi furtum commisum fuit, sed a Decano: igitur quia ratione delicti non fortitur quis forum, nec a judice loci ubi delictum admissum est, puniri valet. Cui difficultati facile satisfaciemus, si animadvertamus, Decanum Altissiodorensis Ecclesiæ habere jurisdictionem in omnes Ecclesias ipsius civitatis, excepta parochia S. Lupi, ut constat ex historia Episcoporum Altissiodorensium incerti Auctoris, edita a Philippo Labbeo *tom. 1. Biblioth. novissime*, *pag.* 481. ubi de Decano quodam ita legitur: " Cir„ ca Decanatus jura tuenda eo amplius vigilavit, quod ju„ risdictioni suæ imminente Episcopo, major resistendi ne„ cessitas incumbebat: cui sic restitit cum effectu, ut causas „ civitatis, excepta Parochia S. Lupi, quæ non est de juris„ dictione Decani, non audiret alius, præter ipsum, vel of„ ficialem suum, nisi per appellationem ad majorem audien„ tiam fuissent delatæ. „ Unde recte intendebat Decanus Altissiodorensis punire furtum a Rectore Xenodochii admissum, cum ratione personæ, & loci ubi crimen commissum fuit, ejus cognitio ad ipsum spectaret.

11 Expenditur cap. a nobis 21. de sent. excomm.

Secundo opponi potest supra traditæ assertioni textus *in c. a nobis* 21. *de sent. excomm.* ubi consultus fuit Clemens III. utrum videlicet excommunicatione ita generaliter prolata, *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit*, si alienus subditus furtum perpetraverit, excommunicationem incurrat. Et respondet Clemens, eam excommunicationem tantum in subditos proprios prolatam censeri, ideoque peregrinos furtum perpetrantes, ea censura non ligari. Ex quo Clementis decreto ita insurgo. Si reus criminis ratione delicti forum fortiretur, ipsa excommunicatione ratione furti commissi ligaretur: sed non ligatur: igitur quia ratione delicti non fortitur quis forum illius judicis, in cujus territorio delictum admisit. Pro hujus difficultatis solutione dicendum est, excommunicationem, de qua in eo textu, ratione territorii proprii erga subditos proprios, potius quam personarum ratione impositam esse: unde nec subditi proprii extra territorium furtum perpetrantes, nec subditi alieni in proprio territorio furtum committentes ipsa excommunicatione ligantur, *c.* 2. *de constit. lib.* 6. docent Laym. *lib.* 1. *sum. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 4. *nu.* 5. Bonac. *de legib. disp.* 1. *qu.* 1. *pun.* 6. Gibal. *de censur. disq.* 5. *qu.* 3. & *disq.* 2. *q.* 3. *in princ.* Suar. *de legib. l.* 3. *c.* 32. Basil. *de matr. l.* 5. *c.* 7. §. 2. Pet. Greg. *l.* 4. *part. tit.* 16. *c.* 7.

12 Exponitur l. 1. ff. de offi. præfecti.

Tertio traditæ assertioni adversatur textus *in l.* 1. *de offic. Præfecti urb.* ubi asseritur, delicta, tam intra urbem, quam extra per Italiam perpetrata, puniri, & vindicari debere a Præfecto urbis: at in provinciis judices proprii erant, ut in provinciis populi Proconsules, in provinciis Imperatoris Præsides, ut probat Cujac. *ad ff. tit. de jurisd.* Igitur illi debebant de delictis in suis provinciis admissis cognoscere, juxta supra adducta; & tamen docetur *in d. l.* 1. reum criminis forum non fortiri eorum, sed tantum a Præfecto urbis puniri posse. Igitur quia ratione delicti non fortitur quis forum illius judicis, in cujus territorio delictum admissum est. Pro cujus textus interpretatione observandum est, principium illius textus mendosum esse, & loco illorum verborum: *Extra urbem intra Italiam*, legendum esse, *Extra urbem, intra centesimum milliare*, ut legitur apud Licinium Rufinum *in collat. legum Mosaic. tit.* 14. ibi: " Romæ quidem Præfe„ ctus urbis solus super ea re cognoscat, si intra milliarium „ centesimum sit injuria commissa. „ Qua lectione retenta recte affirmat Ulpianus, Præfectum urbis intra urbem, & intra milliarium centesimum debere crimina punire, quia terminus urbis, aut Præfecturæ urbanæ, & solitarum regionum, usque ad centesimum lapidem protrahebatur, *l.* 1. §. *initio*, *ff. eod. tit.* Et licet intra centesimum milliarium alii judices essent habentes jurisdictionem, non tamen gladii potestatem obtinebant, quia Princeps illis non concesserat, ut Præfecto urbis permiserat: unde Præfectus urbis gladii potestate utens, poterat punire crimina commissa intra urbem, aut intra centesimum milliarium, idest intra terminum Præfecturæ urbanæ.

C A P U T XV.

Honorius III. *Archiepiscopo, & Archidiac.* a *Turon.*

EX parte charissimæ in Christo *b* filiæ quondam Angliæ *c* Reginæ Illustris fuit propositum coram nobis, quod cum nobilem virum *d* Vv. de Vvertia detentorem Castri *e* Segrei ratione *f* dotalitii pertinentis ad ipsam, quo per eum, vel complices *g* ejus contra justitiam fuerat spoliata, auctoritate bonæ mem. Innoc. *b* Papæ prædecessoris nostri, coram vobis super hoc traxisset in causam, dictus Nobilis excipiendo proposuit, quod litteræ Apostolicæ non valebant, pro eo, quod Castrum Vvarchiæ, ubi est ejus domicilium principale, consistit in diœcesi Rhedon. quæ ultra duas dietas a Turon. est remota; unde huc trahi non poterat, secundum statutumConcilii *i* generalis. Verum replicatum fuit ex parte Reginæ, quod idem Nobilis Turon. satis poterat secundum statutum Concilii generalis convenirí, cum non solum Rhedon. sed etiam diœcesis Andegav. existat, eo quod in ipsa castra & redditus plures habet, & castrum, de quo quæstio vertitur, in eadem diœcesi consistat, quæ a Turon. nequaquam ultra xii. leucas distat. Idem vero adjecit, quod cum dicta Regina jus suum coram domino feudi prosequi debuisset, præfatæ litteræ non valebant cum non faciant mentionem, quod feudi *k* dominus fuerit requisitus, & ipse in exhibenda sibi justitia exiterit negligens, vel remissus subjungens quod eædem litteræ falsitate expressa fuerant impetratæ, eo quod suggestum fuerat, castrum illud ad eamdem Reginam ratione dotalitii pertinere, cum nec ab initio, nec durante matrimonio a viro sibi fuerit in donationem propter nuptias assignatum. Ad hæc autem fuit ex parte ipsius Reginæ responsum, quod vidua spoliata, irrequisito feudi domino, spoliatorem, seu detentorem rei coram ecclesiastico judice poterat convenire, cujus interest viduas defensare. Nec obest quod sibi Castrum illud a viro assignatum non fuerit, cum claræ memoriæ *l* I. Rex Angliæ, heres & successor viri sui Castrum præfatum in *m* concambium pro aliis rebus dotalitiis eidem concessit, & ipsa illud diu pro dote pacifice possedisset. Ad hæc autem fuit ex parte ipsius nobilis replicatum, quod Rex prædictus, heres non fuerat Regis Richardi, nec Dominus Andegav. sed ejusdem Castri raptor potius, & invasor; & ita jus quod ipse nequaquam habuit, transferre non potuit in Reginam. Ad hoc pars ejusdem Reginæ respondit, quod contra rescriptum exceptio hujusmodi non valebat, nec habere debebat locum in possessorio, quod eadem contra dictum nobilem intentabat. Unde vos aures hujusmodi exceptionibus frivolis adhibentes, in principali negotio procedere hactenus distulistis, in ejusdem Reginæ gravamen non modicum & jacturam. Nos vero volentes ut finis litibus imponatur, disc. v. mandamus, quatenus si vobis constiterit dictum Nobilem terram & mansionem habere in Andegav. diœcesi, in qua interdum consuevit commorari; & ipsam diœcesim a Turonensi ultra duas non distare dietas, & in eadem litigiosam rem esse, non obstantibus exceptionibus aliis quæ in petitorio potius, quam in possessorio locum habere videntur, in ipso negotio juxta priorum continentiam litterarum, sublato cujusliber contradictionis, & appellationis obstaculo, ratione prævia procedatis, præceptum Apostolicum taliter impleturi, quod eadem Regina pro defectu vestro ad nos laborare ulterius nun cogatur, nec vos possitis de negligentia reprehendi.

NOTÆ.

NOTÆ.

1 a *Turonensi.*) Ita legendum est, ut etiam habetur in 5. compilat. Honorii III. *sub hoc tit. c.* 1. non vero legendum est, *Archiepiscopo, Decano, & Archidiacono Bituricensi*, ut legitur *in c.* 1. *de off. deleg. in* 5. *collect.* cujus pars reperitur apud Raymundum *in c. ex par.* 12. *de fide instr.* quod cum non observalset Innoc. Ciron. adjecit in margine notam solitam: *Non ponitur, cum reperiatur textus ille, licet truncatus, ut fere omnes hujus libri, in d. c. ex p.* 12. Non absimilis etiam lapsus notatur in eodem eximio viro, dum text. *in c. cum olim, de dilationib.* ut transcriptum a Raymundo refert, cum talis decisio non reperiatur in hac sexta Raymundi collectione. Igitur in hoc textu legendum est, *Turonensi*, non *Bituricensi*; nam litigatores, & possessores, de quibus in præsenti specie agitur, erant in diœcesibus Rhedonensi, Andegavensi, & Cenomanensi; quæ omnes sunt suffraganeæ Archiepiscopi Turonensis, apud quem facilius hæc causa disceptari poterat, quam apud Archiepiscopum Bituricensem, qui longe distat ab his diœcesibus. Missa est hæc epistola Ivello de Matefellon Archipraesuli Turon. De Ecclesia Turon. aliqua notavi *in c. ad aures, de tempor. ordin.*

b *Filiæ.*) Berengariæ videlicet, ut exprimitur *in d. c.* 1. *de off. deleg.* quam fuisse Garsiæ Regis Navarræ filiam testantur Polydor. Virgil. *l.* 4. *hist. Anglia, in princ.* Cujac. *in præsenti*, Idumay *in notis ad Innoc. l.* 13. *ep.* 74. Sed eos refellit Ciron. *in d. c.* 1. *de off. deleg.* qui existimat, Berengariam non Garsiæ, sed Sancii Sapientis Regis Navarræ filiam fuisse, & sororem Sancii Regis Navarræ. Quæ sententia probatur ex stemmate Regum Navarræ depicto ab Arnoldo Oyernath *in notitia Vasconiæ*, *c.* 23. *fol.* 303. ubi refert, Berengariam uxorem Richardi Regis Angliæ fuisse filiam Sancii dicti Sapientis, ex Sancia ejus uxore, filia Alfonsi Imperatoris Hispaniæ; & eam uxorem duxisse Richardum in insula Cypri anno 1191. referunt Neubrifiensis *l.* 4. *c.* 19 *de rebus Anglia*, & *l.* 5. *c.* 2. Marinus Sanutus *l.* 3. *secret. fidel. p.* 12. *c.* 4.

c *Quondam Angliæ Regina.*) Fuerat enim, ut dixi, Berengaria uxor Richardi I. Regis Angliæ, qui dictus fuit Cor Leonis, sceptumque regale tenuit ex anno 1189. usque ad annum 1199. de quo plura Richard. Smitheus *in Florib. Anglia*, *l.* 4. *c.* 6 *sect.* 1. Sed quare dicatur Berengaria quondam Regina Angliæ, cum vidua Richardi Regis esset, non liquet apud interpretes; videtur enim Honorium supponere hic, & *in c. ex parte, de clar. conjug.* Reginam mortuo Rege, nomen, dignitatem, & honorem amittere, quibus vivente marito decorabatur: quod contrarium est illis juris principiis, quibus docetur, viduam durante viduitate, dum ad secundas nuptias non transit, dignitatem, & privilegia retinere, quibus poriebatur vivente marito, *l. filii*, §. *viduæ, ff. ad munic. l. Decurionis, ff. de decur. l. cum tuis, C. de nupt. l. ult. C. de bon. matern. l. femina, ff. de Senat. l.* 1. *C. de dign. l.* 12. *l.* 7. *tit.* 2. *part.* 4. *l.* 25. *tit.* 11. *lib.* 1. *l.* 2. *tit.* 20. *lib.* 5. *l.* 18. *tit.* 14. *lib.* 6. *recop.* unde forum mariti vidua retinet, ut in viduis Nobilium, Doctorum, & Ministrorum S. Officii resolvunt Pichard. *de nobil. commun. n.* 55. P. Barb. *in l. quia tale, n.* 30. *ff. solut. matr.* Bened. Ægid. *de priv. honest. art.* 5. *n.* 3. Parexa *de instr. edit. tit.* 2. *resol.* 6. *sect.* 6. Velasc. *de priv. paup. p.* 1. *q.* 52. Carleval *de jud. t.* 1. *l.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *sect.* 7. Accedit, nam sacri canones viduas Regum, ut adhuc regali dignitate fulgentes, decorare solent; ideo in Conc. Tolet. 13. *can.* 5. prohibetur viduam Principis, aut in conjugio, aut in adulterio copalare, ibi: „ Execrabile facinus, & adfuetæ admodum ini„ quitatis est opus, defunctis Regibus, superstitis ejus conjugis „ regalem torum appetere, & horrendis pollutionum maculis for„ didare: quis enim Christianorum æquanimiter ferat defuncti „ Regis conjugem alieno postmodum connubio uti, ac secuturi „ Principis libidini subjugari, & quæ fuit Domina gentis, fit post„ modum prostibulum fœditatis & quæ toris extitit regalibus „ honoris Regii sublimitati conjuncta, stupris eorum, vel „ conjugiis, quibus pridem dominata est, abdicetur ut reprobata? „ Quid ergo si moriuntur Principes, nunquid inhonorandas relin„ quunt sui corporis partes? &c. " Quod & in viduis Episcopi, seu Presbyteri statutum invenio in Conc. Tolet. 1. *can.* 18. ibi: „ Si „ quæ vidua Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi maritum ac„ ceperit, nullas Clericus, nulla religiosa cum ea convivium „ sumat, nunquam communicet, morienti tantum ei sacramen„ tum subveniat. " Igitur non recte Honor. III. in præsenti Berengariam appellat quondam Regioam, cum mortuo etiam Richardo nomen, & privilegia regalia retineret. Succubuit difficultati Host. *in præsenti*, asserens Berengariam, non quondam Reginam, sed etiam nunc Reginam dici debere; appellari vero Reginam quondam, quia administrationem amiserat, licet dignitatem retineret. Butrius, Panormitanus, & alii, quos sequitur Barbosa in præsenti, existimarunt dictionem *quondam*, qua Honorius utitur, præsens etiam tempus denotare, ut etiam in aliis locis significat congestis a Barb. *de diction. dict.* 283. *n.* 1. Sed in hac difficultate si quid proprii ingenii est, existimo discrimen esse constituendum inter Reginam, quæ mortuo marito habet filium Regni heredem, & successorem, & inter eam, quæ filium non habet, & ita regnum ad transversales, fratrem videlicet defuncti, aut ex fratre nepotem pervenit. Primo casu vidua regnante filio proprie dicitur Regina; secundo vero casu nullomodo ita appellari potest, cum alius transversalis in regno succedat. Unde cum in specie hujus textus mortuo Richardo I. Angliæ Rege, Joannes ejus frater regnum jure sanguinis occupasset, ideo Berengaria vidua, tantum quondam Regina dici poterat.

d *Vv.*) In hac collectione Raymundi tantum legitur G, sed legendum est, *Vvillelmum de Guirchia*, de quo agitur in diplomate pacis initæ inter Philippum II. Regem Francorum, & Joannem Regem Angliæ anno 1206. relato in Historia Normannorum, in fine, *pag.* 1062. ibi: *In manum cepit Rex Fran-*

e *Castri Segrei.*) Rogerus Hoveden. anno 1201. sub Joanne Rege ait: „ Joannes Rex satisfaciens Berengariæ uxori Ri„ chardi Regis fratris sui de dote sua dedit, & in vita sua „ habere voluit civitatem Bajocensem cum pertinentiis suis, „ & duo castella in Andaganda: hodie tamen vocatur ca„ strum hoc de Segre, in Diœcesi Andegavensi.

f *Dotalitii.*) Quid dotalitii nomine comprehendatur in præsenti, non constat apud repetentes. Alii existimarunt, dotalitii nomine in hoc textu venire bona paraphernalia uxoris, sive bona, quæ extra dotem mulier habet, quæ ut peculium sibi reservavit, de quibus *in l. si ego* 9. §. 2. *ff. de jure dotium, l. si ex causa*, §. *in dotis, ff. de minor. l. in eum, l. Celsus* 22. *de relig. l. donationis* 31. §. 1. *ff. de donat.* & aliis congestis a P. Barb. *in l.* 1. *p.* 1. §. *f. solut. matrim.* Revard. *de auctorit. prudent. c.* 4. Ita acceperunt dotalitium Covarr. *in* 4. 2. *par. de matrim. c.* 7. §. 6. *n.* 2. Acosta *in c. si pater, verbo legavit, n.* 46. *de testam. l* 6. plures laudati a Th. Sanch. *l.* 10. *de matr. disp.* 8. *n.* 10. Sed hæc sententia convincitur *ex c. plerumque, de donat.* ubi asseritur, mulierem propter adulterium amittere dotem, & dotalitium: sed uxor propter adulterium non perdit bona paraphernalia, *authent. ut liceat matri*, §. *quæ vero vers. Si de adulterio.* Igitur non recte potest dotalitium accipi pro bonis paraphernalibus. Rectius ergo Glossa in præsenti dotalitium accipit pro donatione propter nuptias, quæ dicitur dos uxoris, *l. ult. C. de donat. ante nupt.* Cujacius *lib.* 5. *observ. c.* 4. Quemadmodum enim dos est, quæ datur marito uxoris nomine, ita donatio propter nuptias est dos, quæ a marito uxori assignatur. Bernardus Papiensis *in breviario*, ibi: *Eam desponsavit, accepit, & dotavit legibus Saxoniæ.* Refert Cujacius *in c.* 1. *de sponsa.* quo modo dotalitium, & dos uxoris accipiuntur *in c. si autem* 36. *q.* 2. *d. c. plerumque*: in legibus Burgundionum, *tit.* 42. & 62. in legibus Ripuariorum, *tit.* 39. & aliis veteribus formulis congestis a Bignonio *l.* 2. *in notis ad Marculphum*, *c.* 15. quo modo dotalitium acceperunt Verrucius *de verbis feudalibus, verbo Dotalitium*, Cujacius *l.* 2. *feud. tit.* 7. Lindembrog. *in Glossar. verbo Dotalium*, Nicol. Henellus *de dotalit. c.* 2.

Qua animadversione lucem accipit textus *in c. esse necesse* 5. *de donat. inter*, ubi proponitur, Regem Legionensem in uxorem ducentem filiam Regis Castellæ, in dotem castra aliqua assignasse eo pacto, ut sicam, quam in uxorem tunc ducebat, aliqua ex causa dimiserit, castra tamquam donata propter nuptias, penes uxorem remanerent solato matrimonio: quo circa cum impedimentum adesset, quod illicitum, & injustum reddebat matrimonium, quæstionis fuit, utrum castra penes uxorem remanerent? Et respondet Innocentius, prædicta castra non tam ob turpem, quam ob nullam causam data censeri, & ideo juri uxoris non cedere. In qua Innoc. Epistola difficilia sunt illa verba: *Quia vero castra quædam, quæ Rex Legionensis filiæ Regis Castellæ in dotem tradidisse proponitur*. Quomodo enim fieri potest, ut socer nurui castra in dotem assignaret, cum dos marito detur ad sublevanda onera matrimonii; *l. quamvis, ff. de jure dot. l. pro oneribus, C. eod. tit. c. salubriter*, ubi plura adducemus, *de usur.* Faber *l.* 6. *conjectur. c.* 20. & *decade* 9. *error.* 5. & 6. Petrus Barbosa *in l. de divisione, n.* 2. *ff. solut. matrim.* Sed hæc difficultas facile ex supra traditis dissolvi potest, si observemus, in eo textu dotem accipi pro dotalitio, seu donatione propter nuptias in uxorem collata, quæ dicitur dotalitium, seu dos uxoris, *c. super* 6. *de donat. inter*, qui textus etiam ex supra traditis interpretandus est.

g *Vel complices ejus.*) Hæc verba non levem continent difficultatem, cum certum sit interdicto *unde vi*, teneri eum, qui dejecit, aut qui mandavit, vel ratam habuit ipsam spoliationem, non vero propter factum alterius, *l.* 1. §. *ait Prætor* 11. *usque ad l.* 10. *ff. de vi, & vi armat. l. hoc jure* 152. §. *dejecit, de regul. jur. c. cum ad Sedem, de restit. spoliat.* at in præsenti specie non constat Vvillelmum spoliasse, vel dejecisse, aut ratam dejectionem habuisse: igitur interdicto *unde vi*, conveniri non debebat, præsertim quia legibus cautum reperitur, ut etiamsi familia dejiciat, dominum dejecisse non intelligi, *d. leg.* 1. §. *ait Prætor, ff. de vi, & vi arm.* ibi: *Nec ego enim videor dejecisse, si familia dejecit*. Probat Menoch. *de recuperand. remed.* 1. *n.* 48. Oluald. *ad Donell. lib.* 15. *c.* 31. *duplici litt. A. & B.* Præsenserunt difficultatem Bernardus *hic, verbo Complices*, Hostiensis, Panormitanus, & aliqui ordinarii in præsenti, qui affirmarunt, textum hunc accipiendum esse, Vvillemo mandante, vel ratam habente dejectionem per complices factam, juxta terminos *in d. c. cum ad sedem, d. l.* 3. §. *cum procurator*. Sed quis non novit hoc esse manifeste hariolari? non enim constat ex textus serie. Villelmum vel mandasse, vel ratam habuisse dejectionem: quare hac omissa sententia, dicendum est, eum etiam interdicto *unde vi* teneri, qui approbarit dejectionem per suos factam, utendo ipsa re, *l.* 1. §. *dejecisse, ff. de vi, & vi arm.* textus ita intelligendus *in c.* 1. *de restit. spoliat.* Unde cum Vvillelmus detinendo castrum approbasset ejus occupationem, & spoliationem, ideo interdicto *unde vi* conveniri poterat. Dominus etiam, qui dejectionem per servos factam, neque tacite, neque expresse approbavit, tenetur restituere quidquid in bonis ejus per ignorantiam occasione dejectionis reperitur, *l.* 1. §. *quod igitur* 15. *ff. de vi, & vi.* Paulus *lib.* 5. *sent. tit.* 6. §. 23.

h *Innoc. Papæ.*) Ita legendum est, non Joannis, ut in sexta collectione legitur. Innocentius enim fait prædecessor Honorii III. & præsens controversia coram eo proposita fuit, demumque agitata coram Honorio III. ut constat ex hoc textu; & *ex c. ex parte, de fide instrum.* unde legendum est, *Innocent. III.* ut jam notarunt Cujac. *in præsenti*, Idumay *in notis ad Innoc. l.* 1. *ep.* 74.

i *Generali.*) Lateranensi videlicet, relato *in c. nonnulli 27. de rescript.* ubi exposui præsentem decisionem.

j *Consistat.*) Unde si ratione rei sitæ coram Ordinario Andegaven. conveniri poterat, ex adductis *in c. sane 3. hoc tit.* nulla irrogabatur injuria, eo quod coram domino feudi conveniretur.

k *Feudi dominus.*) Hæc verba exposui *in c. cæterum de judiis.*

l *I.*) Joannes videlicet, qui alia etiam dotalitii nomine Berengariæ dedit, ut constat ex Innocentio III. *lib. 1. ep. 74.* & Roger. de Hoveden. supra relato.

10 m *In concambium pro aliis rebus.*) Subsistunt Interpretes in his verbis, quibus Regina asserebat, hujusmodi castrum, quo fugrat spoliata, ad se ratione dotalitii pertinere, ideo ante omnia restitutionem petebat: & inutiliter allegatum fuisse titulum possessionis, ut dicta restitutio fieret, constat; siquidem spoliatus etsi de titulo non doceat, restituendus est ante omnia, *l. 1. §. eum qui, vers. Qui me. l. colonus, l. cum fundum, ff. de vi, & vi.* Imo prædonem restituendum esse in odium spoliantis, docetur *in c. ex litteris 5. de rest. spoliat.* ubi docent Barb. *n. 15.* Fermosin. *q. 8.* Menoch. *de recuperand. remed. l. 1. ex n. 109.* Valenzuela *consil. 71. ex n. 109.* Per. Barb. *in l. si de vi, n. 125. ff. de judic.* ubi etiam Barb. *in rationali.* Sed dicendum est, quod quamvis verum sit, spoliatum ante omnia esse restituendum, hoc tamen procedit, si spoliatus dejectus sit a possessione per vim; si vero sine violentia, restituendus etiam est, sed non ante omnia: si enim qui rem occupavit, in continenti de titulo doceat, spoliatus vero defectum patiatur in proprietate, non est restituendus statim, ut ex Abbate, & Cardinale docent Covar. *de sponsi. 2. p. c. 7. §. 5. n. 10, & l. 3. var. c. 16. n. 7. & practic. q. 23. n. 10.* Menoch. *de recuperand. remed. n. 103, & 113.* sic accipientes textus, *in c. quoniam contra, de filiis presbyter. c. significasti, de divortiis, c. decimas, de restit. spol. l. 6.* Unde cum Vvillelmus in præsenti specie de proprio titulo doceret, ut impediret restitutionem, affirmans Joannem non successorem Regis Richardi, sed prædicti Castri invasorem, & injustum possessorem esse, quia plerique existimabant quod post mortem Richardi ad Arturium Ducem Britanniæ, fratris Richardi natu majoris regnum spectabat, ut refert Cujacius *in præsenti*; recte Regina permutationem ut suæ possessionis titulum allegavit, ne si spolium absque vi factum probaretur, & Vvillelmus de titulo doceret, restitutio illi denegaretur.

n *Eadem Regina.*) An vidua, eo quod vidua est, possit coram judice Ecclesiastico spoliatorem convenire, jam exposui *in c. ex tenore, hoc tit.*

11 Textus cujus rejectitur. Cum hujus textus littera sæpius emendata, castigataque remaneat, ex ejus partibus historia ita repetenda est. Berengaria filia Sancti Regis Navarræ nupsit Richardo I. Anglorum Regi, a quo dotalitii nomine, seu donatione propter nuptias certa manera, quæstanque possessiones accepit: defuncto autem Richardo Rege, Joannes ejus frater in Regnum successit, rejecto Arturio ipsius Richardi nepote ex fratre. Berengaria pro possessionibus sibi a Richardo dotalitii jure assignatis, in concambium, seu permutationem a Joanne regni successore Castrum Segrei accepit: sed cum spoliata esset ab Vvillelmo, litteras ab Innoc. III. impetravit ad Archiepiscopum, Decanum, & Archidiaconum Turonensem, coram quibus Vvillelmus judicio possessorio conventus, varia opposuit contra dictas Innocentii litteras. Primo rescriptum illud non valere, quia contra Concil. Lateran. relatum *in c. nulli, de rescriptis*, ultra duas dietas trahebatur a loco domicilii, quod habebat in diœcesi Rhedonensi. Secundo opponebat, feudi controversiam coram ejus Domino esse disceptandam, *c. cæterum, de judic. c. 6. & 7. hoc tit.* Unde coram Duce Andegavensi Domino prædicti Castri, eo non negligente, quæstio proponenda erat. Tertio opponebat Vvillelmus, prædictum Castrum ad Berengariam non pertinere, quia Joannes, a quo acceperat, non legitimus regni successor, sed invasor, & injustus detentor erat. Tandem falsitatis arguebat prædictum rescriptum, eo quod littera O, omissa erat, fiquidem pro *spoliabatur*, scriptum erat *spliabatur*. Ad hæc omnia, quæ Vvillelmus objiciebat, Berengaria replicabat, ipsum non tantum in diœcesi Rhedonensi, verum etiam in Andegavensi, ubi erat dictum Castrum Segrei, etiam domicilium habere; unde non extra domicilium per duas dietas trahebatur. Etiam replicabat, non recte Vvillelmum objicere, quod contempto feudi domino judicem Ecclesiasticum adjisset, cum hoc concessum sit viduis pauperibus, præcipue de dote agentibus; textus *in c. 1. 87. dist. c. nuper, de donat. c. super, de v. s.* Tandem tertiam exceptionem potius petitorii, quam possessorii causam respicere asserebat; quibus auditis Honorius III. jussit præsenti rescripto judicibus delegatis, ut si constaret Castrum Segrei esse in diœcesi Andegav. ibique Vvillelmum domicilium habere, minusque abesse a Turonensi diœcesi, quam itinere duorum dierum, juxta tenorem prioris rescripti in causa procederent, & quamprimum appellatione remota prædicti Castri possessionem Reginæ restituerent. Hactenus Honorius III. in præsenti. Ultimæ tamen exceptionis, falsitatis videlicet rescripto objectæ, mentio non fit in præsenti ab Honorio; ejus tamen decisio extat *in c. ex parte, de fide instrum.* quod ita ex quinta compilatione nostri Honorii restituo. Ex parte charissimæ in Christo filiæ B. quondam Anglorum Reginæ fuit propositum coram nobis, quod cum nobilis vir Vv. de Guerchia Nanneten. Rhedon. & Andeg. diœcesis, ipsam Castro de Segrio ad eam ratione sui dotalitii pertinente, pro suæ voluntatis arbitrio spoliaverit, & ipsa super hoc a bonæ memoriæ I. Papa prædecessore nostro ad nos litteras impetrasset: quia pars adversa, postulatis a nobis induciis deliberatoriis, & obtentis, rescriptum Apostolicum, pro eo, quod in hac dictione *spoliarit*, hac figura O, deerat, asseruit vitiosum, proponens nihilominus, quod mandatum expiraverat mortuo mandatore, licet jam a nobis tres citationes, vel quatuor emanasent; vos tamen admissis hujusmodi exceptionibus frivolis in ipso negotio procedere distulistis. Nos ergo de discretione vestra non modicum admirantes, cum præcedentia etiam per subsequentia intelligantur, licet ex scriptoris vitio, vel occupatione prædictum O, fuerit omissum, satis vobis potuit de mandatoris intentione constare, nec ejus mandatum in ipsius obitu expiraverat, eo quod res integra jam non erat: ac volentes ut finis litibus imponatur, disc. v. p. A. s. m. quatenus exceptione hujusmodi non obstante, in negotio ipso juxta priorum continentiam litterarum, sublato, cujuslibet contrad. & ap. obstaculo, ratione prævia procedatis.

C A P U T XVI.

a Gregorius IX. *Fratri Palmerio SS. Trinitatis.*

CONquestus est nobis *b* Bononiensis Episcopus, quod *c* Potestas, & Commune Bononiens. temporalem jurisdictionem, quæ in quibusdam Castris, & villis Ecclesiæ Bononiensi competit pleno jure, & in cujus quasi possessione fuisse, ac esse dignoscitur, per violentiam usurpare præsumunt. *Et infra*: Cum autem valde sit iniquum, ea quæ collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis, vel relicta, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari, propter quod merito invasores ipsarum rerum, tamquam sacrilegi sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam *d* supponendi. *Et infra*: Mandamus quatenus si tibi constiterit de præmissis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam cessare ipsos ab hujusmodi, & satisfacere de præteritis damnis, & injuriis, appellatione remota compellas.

N O T Æ.

a *Trinitatis.*) Ecclesia SS. Trinitatis est Canonicorum Regularium in Italia, de qua aliqua adducit Gab. Pennotus *in historia Canonicor. Regular.*

3 b *Bononiensis.*) Henricus videlicet a Frata, ex Canonico Sancti Victoris, Clero suffragante, in Præsulem Bononiensem electus anno 1213. magnus vindex, & propugnator ecclesiasticæ jurisdictionis, ob quam cum suis civibus non pauca jurgia contraxit, exercuitque, ut refert Ughel. *t. 2. Italia sacra, in Ecclesia Bononiensi, n. 69.* A Friderico Imperatore sequens retulit privilegium, quo omnia jura Bononiensis Ecclesiæ rata habentur: & quia ex eo non modicam lucem accipit præsens textus, ex Ughellio illud transcribere non injucundum putavi.

Fridericus II. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Siciliæ Rex gloriosus in perpetuum.

IMperialis Majestatis decet eminentiam justis fidelium servorum desideriis benignam se præbere, & commodam, illorum propensius vocibus aures Serenitatis suæ accommodans, quorum devotionem lucidam, & fidem præclaram in dies commendant obsequia, inter quos dilectum fidelem Principem nostrum Henricum Venerabilem Bononiæ Episcopum præcipuum reputamus, cum suæ honestatis, & conspicuæ devotionis certa nobis clarescant indicia: ideo propter ea præclara servitia quæ nobis, & Imperio intrepide exhibuit, & in posterum creditur exhibiturus, Imperiali magnificentia concedimus, & confirmamus eidem Episcopo, & Ecclesiæ Bononiensi, suisque successoribus in perpetuum bonos usus, & consuetudines, quos & quas Ecclesia Bononiensis habuit. Concedimus quoque, damus & confirmamus præfato Episcopo & Ecclesiæ Bononiensi, suisque successoribus plenam jurisdictionem omnium Castrorum, & locorum ejusdem Episcopi, & Ecclesiæ Bononiensis, & nominatim Castri Joannis in Persichet, & ejus curtis, & pertinentiæ; Castri Maxumatici, & ejus curtis, & Podi de Maxumatico; Castri publioli, & ejus curtis; Castri Flexi, & ejus curtis; Castri Unguiani, & ejus curtis. Item concedimus, & confirmamus quod idem Episcopus Bononiensis, & successores sui terram cum curte & pertinentiis suis liberam, & exemptam integram de cetero habeant, teneant, & possideant, cum omni jurisdictione civili, & criminali, districtu, & honore, sicut eam nunc habet, tenet, & possidet liberam & exemptam, & prædecessores sui habere, & tenere consueverunt; ita quod nulla persona, vel civitas Bononiæ, seu quæcumque alia civitas, vel commune, fodrum, vel collectam, vel aliquam exactionem ibi facere, vel imponere præsumant in ea: in omnibus siquidem

dem Castris, & locis prædictis, ac terris, & earum pertinentiis, & habitatoribus per præfatum Bononiensem Episcopum, ejusque successores habere, & exercere volumus, & sancimus plenam jurisdictionem in placitis bonis, & ceteris quæ pertinent ad jurisdictionem civilem & criminalem, non obstante privilegio a nobis Communi Bononiæ concesso, cum per illud non intellexerimus auferre, vel diminuere jura Bononiensis Ecclesiæ: nec obstare volumus privilegium a Serenissimo avo nostro Friderico invictissimo Romanorum Imperatore civitatibus Societatis Lombardiæ apud Constantiam concessum: nec etiam statuta Communis Bononiæ obstare volumus supradictis, quæ concedimus Episcopo, & Ecclesiæ Bononiensi: quorum Laberatici, cum Fortunatico, & decursus aquarum, & alveos fluminum in omnibus locis, & terris prædictis, specialiter regalias, & armarias, quæ, & quas in castellis, & locis suis, & in eorum pertinentiis habet, & ut licet ei, suisque successoribus causas Bononiensis Ecclesiæ omnes per syndicum peragere, non præstito juramento caluniæ ab ipso Episcopo: ita quod alius contra eum hoc jure uti non possit, nec adversarius, nulla lege obstante. Adjicientes etiam concedimus sanctæ Bononiensi Ecclesiæ, ut nulla præteriti temporis præscriptio ab hoc nostræ concessionis decreto, & eidem Ecclesiæ objici possit, nisi centum annorum; & deinceps possessiones, & actiones, & jura, seu jurisdictiones ejusdem Ecclesiæ non nisi spatio centum annorum præscribantur, & Ecclesiasticæ personæ, & Ecclesia Bononiæ, & diœcesis plena gaudeant, atque fruantur libertate, & pace: velut nec ad angarias, vel parangarias, vel alias operas; sed nec ad collectam, vel exactionem aliquam, quovis nomine censeantur, per aliquem nostrum missum, ullamve majorem, vel minorem laicalem personam, seu per Commune Bononiæ compellantur curare ad breve Communis Bononiæ, vel fodimentum Potestatis, aut in cavalcatam, vel exercitum ire, cum oporteat eos circa servitia Dominorum suorum intendere. Statuimus insuper, quod sæcularis judex de Ecclesiis, & Clericis, & Ecclesiasticis personis prædictæ diœcesis a rebus eorum judicare, vel disponere non præsumat civiliter, vel criminaliter, nisi quatenus canones sacri permittunt. Præterea privilegia, & concessiones, & quodcumque antecessores nostri Reges, sive Romanorum Imperatores, etiam summi Pontifices, seu alia ecclesiastica, vel sæcularis persona, seu terrarum Communia præfatæ Bononiensi Ecclesiæ, ejusque Præsulibus per donationem, venditionem, concessionem, aut alio quovis titulo contulerunt, Imperiali magnificentia confirmamus, & privilegii nostri auctoritate communimus: alienationes vero, venditiones, & alias concessiones factas a prædecessoribus præfati Episcopi de rebus prædictæ Ecclesiæ, contra legitimas, & canonicas sanctiones, in damnum, & præjudicium Bononiensis Ecclesiæ, irritamus, & decernimus non valere. Concedimus quoque, & mandamus, quod potestas, & Commune Bononiæ in eorum districtu pro bannitis habeant quos Episcopus Bononiensis de suis terris bannierit, nec eis alii aliquam defensionem præstent, donec in banno Episcopi erant. Insuper Episcopum præfatum, & Ecclesiam Bononiensem cum omnibus ad Episcopatum Bononiæ pertinentibus, sub nostra Imperiali protectione suscipimus. Statuimus ergo, & nostra Imperiali auctoritate sancimus, quod nulla omnino persona, alta vel humilis, Ecclesiastica, vel sæcularis, nullumque Commune hoc nostræ Majestatis privilegium audeat violare, nec aliquibus calumniarum injuriis, seu damnis, occasione statuti, vel consuetudinis civitatis attentare præsumat: quod qui fecerit, in ultionem temeritatis suæ componat ducentas libras puri auri, medietatem Cameræ nostræ, reliquam partem Episcopo & Ecclesiæ Bononiensi: ad cujus rei certam in posterum evidentiam, præsentem exinde paginam conscribi, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilejensis Patriarcha, & Sigifridus Moguntinensis Sedis Archiepiscopus.

c *Potestas & commune.*) Quid per potestatem, & commune intelligatur, jam exposui *in c. fin. de judic. c. licet 10. hoc tit.*

d *Suppondi.*) Sacrilegos, raptores, seu fures rerum Ecclesiarum non ipso jure excommunicatos esse, sed a judice esse excommunicationis vinculo ligandos, probat Suarez *de censur. disp. 22. sect. 2. n. 4.* ex hoc textu, *& ex c. fin. de furtis*; nec contrarium suadetur *ex c. conquesti, de sent. excommun.* in illis verbis: *Eos excommunicatos denuntietis.* Quæ verba ita accipienda sunt, ut sacrilegi excommunicati denuntientur, id est, publice, & nominatim excommunicentur, *ut in c. tua nos, eod. titul.* illa verba, *ex quo sunt per sententiam publicati*, idest excommunicati, & publicati, accipienda sunt, ut docet Pater Suar. *ubi supra n. 5.*

Commentarium hujus text. dedimus *in c. cum sit 8. hoc tit.*

C A P U T XVII.

Idem *Episcopo* a *Dulmensi*.

DIlecti filii I. & A. cives Romani, sua nobis petitione monstrarunt, quod cum Abbati *b* S. Genovefæ Parisiensis super quadam pecuniæ summa contra *c* R. prædecessorem tuum litteras impetrasent, tu proponi fecisti, quod omnibus Anglicis est a Sede Apost. indultum, ut super causis pecuniariis citra mare conveniri non *d* possint: propter quod idem Abbas in negotio non processit. Verum quia etsi fuisset privilegium tale concessum, non tamen prodesset illis qui se certo *e* loco respondere, vel solvere adversariis promiserunt, cum ibi, & ubi domicilium habent, valeant conveniri: mandamus quatenus eisdem de pecunia ipsa, cum justis & moderatis expensis, & congrua satisfactione damnorum (usuris omnino cessantibus satisfacias, ut teneris. Alioquin eidem Abbati nostris damus litteris in mandatis, ut in commisso sibi negotio (proposita ex parte tua indulgentia non obstante) juxta prioris mandati tenorem sine dispendio moræ procedat.

N O T Æ.

a *Dulmensi.*) De Ecclesia Dulmensi in Anglia nonnulla notavi *in c. causam 9. de jud.*

b *Abbati S. Genovefæ.*) Qui est judex ordinarius Lutetiæ Parisiorum *c. olim, 17. de restit. spoliat. c. P. & G. de offic. deleg.* ubi plura adduximus.

c *R. prædecessorem.* Cum enim pecunia conversa esset in utilitatem Ecclesiæ, per rescriptum impetratum contra prædecessorem successor in Sede Episcopali conveniri potuit, ut dixi *in c. Rodulphus, n. 7. de rescriptis.*

d *Non possit.*) Unde inter gravamina Regni Angliæ hujusce juris contemptum refert Matthæus Paris. anno 1246. Gravatur Regnum Angliæ, quod Anglici extra Regnum „ in cau„ sis auctoritate Apostolica trahantur, contra Regni consue„ tudinem, & contra jura scripta. " Et olim Siculos hoc jure usos fuisse, refert M. Tullius 2. *in Verrem.*

e *Certo loco respondere.*) Etiamsi distet per duas dietas a proprio domicilio, *c. ult. hoc tit. in 5. compil.* ubi Honorius III. Episcopo, & Abbati S. Proculi, & Priori S. Joannis in monte Bon. ita rescribit: (Discretioni vestræ mandamus, quod si vobis constiterit, quod Magister Balduinus clericus Laudun. ad respondendum prædicto Joanni Bon. se adstrinxerit juramento, & ipsum ad illud observandum, & super prædictis, prout tenetur, indemnem reddere, monitione præmissa, per censuras Ecclesiasticas, appellatione remota cogatis: constitutione de duabus dietis in Generali Concilio edita non obstante. Quod si forte idem I. sæpe dictum Balduinum, vel ejus procuratorem fecerit laborare Bononiam, nec probaverit quod ad respondendum sibi in civitate Bonon. juramenti vinculo sit adstrictus in expensis legitimis, appellatione postposita condemnetis.)

COMMENTARIUM.

2 Species refertur, & conclusio deducitur. QUidam cives Romani R. Episcopo Dulmensi certam pecuniæ quantitatem mutuam crediderunt Romæ cum ipse negotia suæ Ecclesiæ procuraret, quam pecuniam promisit se Lutetiæ soluturum; sed eo in propriam Ecclesiam reverso, cessanteque in solutione, creditores litteras impetrarunt ad Abbatem S. Genovefæ: sed priusquam illum convenissent, vita decessit, aliusque in ejus locum suffectus fuit, cum quo ex eodem rescripto Lutetiæ apud eundem Abbatem agere pergebant. At novus Episcopus objiciebat privilegium a Sede Apostolica Anglis concessum, ne ultra mare in judicium trahi possint. Consultus Gr. IX. a prædicto novo Episcopo Dulmensi, illi rescribit, quod etsi tale privilegium esset Anglis concessum, non tamen prodesset illis, qui se certo loco solvere adversariis promiserunt, cum in eo loco, & ubi domicilium habent, valeant conveniri: unde illi jubet ut pecuniam ipsam cum expensis, & congrua satisfactione damnorum creditoribus solvat, alias prædictus Abbas juxta tenorem rescripti in causa ipsa procedat. Ex quo Gregorii responso sequens deducitur disputanda assertio: „ Qui promisit certo loco solvere, etsi privilegiatus sit, ne „ extra domicilium in jus vocetur, ibi, & in loco domicilii „ conveniri potest: si solvat in loco domicilii debitum, con„ grua satisfactione damni facta reddere cogitur. " Probant eam textus *in l. heres 10. §. illud, ult. ff. de judic. l. 1. & per tot. ff. de eo quod certo loco, l. si duo 16. §. 1. ff. de const. pecun. l. contraxisse, ff. de oblig. & action. l. 3. ff. de rebus auctor. jud. l. quæro 100. ff. de solut. l. 3. ff. de legat. l. usura 8. C. de solut. l. 1. C. ubi conven. qui certo loco.* Illustrant ultra congestos a Barb. Garanna, Vega, & Fermofino in præsenti, Ægid. Hortensius, & Donellus *in d. l. 1. ff. de eo quod certo loco*, Osuald. *ad Donel. l. 17. comm. c. 14. lit. C. & c. 19. lit. A.* Petr. Barbosa *in l. 1. art. 3. n. 230. & in d. l. heres 19. §. ult. ff. de jud.* Duar. *ad tit. ff. de eo quod certo loco*, Narbona *in l. 15. tit. 21. lib. 4. recopil.* Carleval *de judic. t. 1. tit. 1. disp. 2. q. 8. ex n. 184.*

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequentibus ratiociniis. Primum nascitur ex eo, nam quod non debetur, non exigitur, *l. nihil, ff. de oblig. & action.* sed quod certo loco promissum est, alio loco non debetur, quia extra stipulationem est, cujus natura stricta est, *l. quidquid adstringendæ, ff. de verb. oblig.* unde qui petit quod promissum est certo loco, alibi, plus petit, *§. si quis agens, vers. loco, Instit. de action. e. un.* ubi dicemus, *de plus petit.* nec reus invito creditore alio loco, quam eo, quo promissum est, solvere potest, *l. qui Romæ 122. in princ. ff. de verbor. oblig. l. is qui certo 9. ff. de eo quod certo loco*, ubi Donellus, *l. obsignatione 9. C. de solution.* Donellus, Cujacius, & Duarenus *in d. l. qui Romæ.* Igitur in loco domicilii, aut 3 Impugnatur hæc assertio.